Concina

TRACTATUS
DUPLEX.

Primus, Status Religiosi notionem ejusquè Evangelicam perfectionem

EXHIBENS.

Alter, de obligatione Regulæ & Constitutionum Regularium

DISSERENS.

Ex Asceticis Operibus RR. PP. DANIELIS Concina & PETRI Dierkens Sacri Ords Prædicatorum

COMPILLATUS.

Pro Regulari autem usu de licentia Superiorum, Reimpressus.

Typis Clari Montis Częstoch: diebus Julij.

Anno Dñi 1765.

Porro

Jnclito Nomini ac Honori
Jlluſtris Magnifici Dńi

D. STANISLAI

de Janowice

CHWALIBOG

Arcis Cracovienſis Burgrabij
digniſſimi,

Mecænatis Faventiſſimi,

DICATUS.

Operâ R. P. Remigij Strauch
*Ords S. PAULI p. Er. Magi-
ſtri Novitiorum & Supprioris
Conventus Vetero-Częſtoch:*

Jn Gentilitium Stemma

Jlluſtris Domus CHWALIBOGIANÆ



Epigramma
I.

Portat ad excelſas CHWALIBOGIA
STREPA Curules
Victorem terris impoſitura pedem

Hinc VOS diſpoſito Comitetur glo-
ria Curſu
Jnclyta queis Virtus purpura STREP-
PA PAREST.

II.

Proximat Herculeo STANSLAI
STAFFA Coloſſo
Stare loco neſcit carpit honore Vias
J Stans laus metire juges ad Vota
triumphos
Cum Jove CHWALIBOGUM Siſti-
to STAFFA pedem.

DE-

DEDICATIO

Jllustris ac Magnifice Domine Mecænas Faventissime.

CUrsune potius vel discursu circa GENTILITIAM TUAM *institero* STAFFAM? *Vereor* Jllustris ac Magnifice Dñe, Dñe Mecænas Faven-

ventissime. *Si cursu hunc temeritatis nota de hortatur utpote per Avitam* STAFFAM TUAM *exitiale Patriæ calcati hostis memorata offendiculum; Si discursu præcipit illum laudiproma Vulgato meritorum Sonitu* CHWALIBOGIORUM TESSERA *eatenus, ut Solitarium Cœnobitam impervie abrumpat a cursu solitudo, & Secreta Oratorem a discursu arceat taciturnitas. Sola itaque lenocinantis Sepiæ vocalisatur* STREPA *modificato Strepitu & clangore illo reboans, qui Sarmaticis in Campis Movortios inter turbines activum echo seu Classicum replicat & multiplicat.*

Ba-

Baiula bellorũ bellatorumq́ Virorũ STREPA *quomodo e loco trophæorum, metam gloriæ subintraverit? Stupet admirabundus Politicus Orbis; Cuius si suspiciat aboriginem, præ ipsa antiqua antiquitate quæri eam sinit non comprehendi.* Jllustres *etenim* STRZEMIENIORUM *tituli ingentes sine margine impleverunt Tomos, facta circumdederunt fastos & Annales ita, ut retroactis* Majoribus *sint* Majores *cum Scipione validi, iusti cum Aristide, cum Themystocle Sapientes, cum Fabricio virtuosissimi. Jnter scutatos hastatos & phaleratos Victrice experientiâ præstantes mili-*

 tes

tes, interque illos qui nedum ferro dimicant ſed & animo, pectore, moribus, exemplo pro Patriâ excubant magnanimum Achillis nomen cum omine STRZEMIENIIS *tribuendum. Aurea Boleſlai Chrabri ſi licet ad calculum revocare tempora, ubi* ARMA TUA Mecænas Faventiſſime *ex Imperiali Belgio Motenbaianæ proſapiæ oriunda iam Senatoriis Poloniæ emicuere in faſtigiis ut tunc profecto qui* TUAM GENTILITIAM *intendiſſet* STAFFAM, *primos in illa Statuum & Ordinum Miniſtros, primos poſt Reges & Principes advertiſſet Optimates. Abſit hinc improvi-*

dum

dum lenocinij diſpendium diſtinctos quippe præ ceteris Vaſallis STRZEMIENIOS *Fortuna haberi voluit, quibus non tam pedeſter Viam Gloriæ antecurrens impreſſit, quam fido pegaſo inſiſtentes infida fata fidei, Regnique pericula frenare iuſſit. En preſſum formatæ laudis Typum indicat purpuratus Gneſnenſis Archipræſul* MARTINUS STRZEMIENIUS. *Romæ a Nicolao tertio Pontifice Conſecratus, ut non modo auctorati Prædicatorum Inſtituti ſublime conſtituiſſet prædicamentum Verum etiam* JNCLITÆ FAMILIÆ TUÆ *utpote in milleſi-*

 mo

mo octavo Æræ vulgaris Anno plusquam Octavum omnimodæ Excellentiæ fuisset prædicabile. MARTINO *pace* TUA *adstipulatur* GREGORIUS *eorundem* ARMORUM *Leopoliensis Archiantistes quem veluti Octavam terraquei sphæram poli, fulcrum & Columen irredemptæ libertatis Polonæ Virtusq; ipsa posuit Procerem vel ideo quia equestri & Senatorio Ordini ac tandem Pastorali dexterrimas vices præbuit Præprimis invictus ad Varnam, Vratislaviam, ac Dunajoviam triumphator, mox e Præsuleo Trono ad supernum evectus proculdubio immunitatis*

ac

ac longævitatis TUÆ *exorator. Oceanum navigio ſpatioſiſſimum ingrederetur volubilis penna* STRZEMIENIANIS *in ellogiis naufragatura, ſi illa metiri præſumeret. Et nuncquid mens abſorbetur, Lyncea cæcutit pupilla a vibrata* AVITÆ TESSERÆ TUÆ *indagine? dum ſub Caſimiro Magno (teſtis Długoſſius eſt) Auctoritas, dexteritas, dominium, potentia & Copia* STREPARUM *integrum contra Valachos ſe ſolo conflaverit Banderium ſive Vexillum. Quid dicam de Jacobo Halicenſi Archi-Epiſcopo? Cuius prodigioſam Virtutem & Sanctimoniam*

 in

in exanimi & alias corruptibili machina ipſa mutuo digladiantia coluere elementa, dum ipſum elingve at incorruptum Jacobi Corpus vivas loqueretur in plebem gratias. Loquitur inſuper ſeræ poſteritati memnoneam famam patulum in Baſilica Franciſcana Leopoli Epitaphium, perennantes illius aureolas Eccleſiam, Rempubliram, & Senatum magnopere concernentes - - Toga ſagoq; micant ingenui Athletæ per collaterales Aborigenum TUORUM *differentias, ubi ad augem Meritorum* Jlluſtris *Familiæ accenſentur.* TRZECIESCJI, WRZOSOWSCJI,

BU-

BUCZYNSCJI, SULOWSCJI, JEZOWSCJI, KOCZANOWSCJI, KORZENSCJI, BOIANECCJI, RUDNICCJI, WIELOPOLSCJI, ZBYLITOWSCJI, ZABOROWSCJI, LISSOWIECCJI, WOYNAROWSCJI, KIIANSCJI, *aliique rurſus cum aliis præclariſſimis Familiis Sangvine & amicitiâ copulati, ea amplitudine & dignitate ut omne omnino ſæculum aut literarum ſolertem pæritiam, aut militarem diſciplinam, aut ſingularem quemcunque Cultum* DOMUI TUÆ *& vendicaverit & adhibuerit. Porro hæc eximia* MA-

 JO-

JORUM *de Successoribus præsagia non sine tripudiante clementis Cœli illapsu cum honore possedit* CHWALIBOGIANA NASCITA TUA, *ac si omnia Antenatorum Astra & Sidera ad punctum concentratæ laudis e suâ traxisset maiestate. Referunt pervetusta Gracoviensis Palatinatus monumenta longâ seriè per Regalem munificentiam erga* CHWALIBOGIORUM *Observantiam iisdem concessa Privilegia, quemadmodum* Setenissimus CASIMIRUS *Rex Poloniæ* PETRO, CLEMENTI, & JOANNI *de Janowice* CHWALI-

LIBOGIIS *militibus ſtrenuis, eorum Filiaſtris* ALBERTO *& Dirſtoni eorum Patruis* CESLAO, *Aproſlao*, CHWALIBOGIO, *eorum Fratribus* STANISLAO, *Falimiro, Beniſſio, Roſlao & Januſſio ius Theutonicum imputavit, & hoc in extenſione ſuorum Dominiorum, ea amplius diſtendendi ac dilatandi facta poteſtate nec non iure tributario abdicato Quod utiq; Privilegium quid conciliavit niſi illibata in Reges fidelitas, in Patriam amabilitas, in ſuperos pietas, plerumq; purpurato trabæata Sangvine, quem cum*

ipſi-

ipsius vitæ pretio CHWALIBOGIJ *bono publico immolarunt, victimarunt. Reverenti Secreto concludam* STANISLAUM CHWALIBOG *in pluribus expeditionibus, & potissimum sub Interregno Rothmagistrum in districtibus Sandecensi & Czchovensi. Præterivero* JACOBUM, PETRUMq; CHWALIBOGIOS *temporibus* STEPHANI *Regis per Moscoviam & Lithvaniam laureatos hæroes stipendia non dispendia ferocis Gradivi, Almæ posteritaci pro fama testantes. Ocultavero* JOANNEM PETRI *filium, i-*

ti-

tidem Palatinatus Cracovienſis Rothmagiſtrum; Demetrio Moſcorum Duci Coaulicum, e Turcicis & Pruſſicis copiis triumphatorem glorioſiſſimum. Sed necdum hic finis præfigitur Illuſtribus Cæris TUIS, *quas eminentius Colluſtrant æmula Sagacioris Herculis rectefacta nobiliſſime exantlata per* GAWRONSCIOS, MICHAŁOWSCIOS, ŁĘTOWSCIOS, GNIEWOSZOWIOS, SIERAKOWSCIOS, TRZECIAKOS, WIELOGŁOWSCIOS, OTFINOWSCIOS, PIASECCIOS, WO-

JEC-

JECCIOS, PRZYŁUSCIOS, GORSCIOS, WAXMANOWIOS &c. ad *Jnclytam Nomenclaturæ* TUÆ *spectantes dignitatem. Manifestant illi superstite pteconio utpote* TUIS *Maioribus Coævi eorum eminentiam ipsosq; eminentes aggregatissimâ quia utraque dote cumulatos* CHWALIBOGIOS, *nimirum* STANISLAUM de Janowice Subdapiferum Vicesque gærentem Cracoviensem, mox Castellanum Sandecensem ad Tribunal Regni in Anno Millesimo Septingentesimo decimo Deputatum Judicem; MICHAELEM

LEM Subdapiferum Braclavienſem, CASIMIRUM Burgrabium Cracovienſem item Regni Deputatum, JOANNEM Venatorem Volhyniæ. *Talis & tanta benemeritorum Honoris & Sangvinis cornucopia non modo ex Anteceſſorum inſignibus* TE *circumdat* Mecænas Ampliſſime *ſed abſolutiſſimum in illis hæredem conſtituit, Æmulatorem fecit. Quem etenim ſolidiorem pro Patria Scipionem, pro Religione Pomphilium, pro iuſtitia fas ſit venerari Licurgum niſi* TE *quem tametſi natura eximie non dotaſſet, nibilominus induſtria* TUA

ad

ad præsentia (quæ possedisti) munera eluctata fuisset Novit præclara Districtus TUI *Nobilitas luculentissimas qualitates* TUAS, *idcirco ad capessenda omnis publicitatis munia* TE *præ aliis acceptavit Deputatum delegit & deputavit. Legatum suum haberi voluit, quibus stantibus perspicue demonstrasti id, ut quod solidior difficultas* TIBI *attulit, quidquid servanda indemnitas persvasit, facilitares, defenderes, & evinceres. Nonne his tot tantisq; meritis novos titulos, novos honores merebare* Burgrabie meritissime, *quam inaugurationem*

Con-

Confeſtinavit feſtiva Virtus TUA *in qua purus latitat ſplendor palmata honeſtatis mole gravidatus Sed nolim ego Verborum energiam Oratoria prolixius gradatione texere, quidquid enim agis* Macænas Faventiſſime *ellogium eſt omnem tranſcendens Elogiaſtam. Utere duntaxat ea qua ſemper fuiſti animi Celſitudine & devotam in* TE *meam Obſervantium* TUA *metiare benevolentiâ, Opuſculum quod ſupplex adſterno ſplendori* TUO *dicatum patere de* TUO *quippe ſplendore clarius reſplendeſcet per* STAFFAM Gentilitiam *honoratis aditibus inve-*

vehetur; Sospitem te diu fastigia servent & dum mortalium fastos excesserint lectissimam Sobolem pro fructu & gloria communis populi conservent. Votum humili devinctione paciscitur.

Honoris & Venerationis TUÆ

Studiosissimus Æstimator

Et indignus Exorator

Fr. R. S. O. S. P. p. E. S. & M. N.

FACULTAS ORDINIS

Fr. GERARDUS THOMASSICH Ords S.Pauli primi Eremitæ SS.Theologiæ Doctor Prior Generalis & Visitator Provinciæ Polonæ.

Reverendo Patri REMIGIO STRAUCH Ordinis noſtri Profeſſo. Suppriori Conventrs Vetero-Częſtochovienſis & Magiſtro Novitiorum. Do licentiam, reimprimendi Typis domeſticis & dedicandi, Tractatum 1mum Authore ARPatre DANIELE Concina, 2dum Authore ARPatre PETRO Dierkens utroq́ Sacri Ordinis Prædicatorum Profeſſo. Datum in Conventu noſtro Clari-Montis Częſtochovien. A. 1765. Die 13ia Menſis Julij.

Fr. GERARDUS THOMASSICH
Prior Generalis mpp.

FACULTAS REIMPRIMENDI

DIÆCESANA.

UT Dissertatio DANIELIS Concinæ Ordinis Prædicatorum in Tomo priori reperta Bononiæ An. 1762. impressa, sub Titulo de Statu Religioso, Capitibus duodecim constans recudi possit & valeat, concedo facultatem, Die 28. April. 1765.

M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI SS. Theologiæ Doctor & Professor, Collega Major, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Censor.

mpp.

FACULTAS
R. A. P. PROVINCIALIS.

PErmitto, ut imprimatur hic Brevis Tractatus de obligatione Regulæ & Conſtitutionum in Religioſis Ordinibus, ſuppoſitis ſupponendis. Datum Tornaci 4. Maji, 1667.

Fr. BONAVENTURA de MARIVOORDE, Provincialis per inferiorem Germaniam Ordinis Prædicatorum.

FACULTAS REIMPRIMENDI
Cenſoris Diœceſani.

PRæſens libellus jam Anno 1667. 11. Julij approbatus, & Anno 1731. Coloniæ impreſſus, ut iterum reimprimi poſſit, do facultatem.

M. CASIMIRUS STĘPLOWSKI S. T. Doctor & Profeſſor, Librorum per Diœceſim Cracovienſem Cenſor Die 17. Aprilis 1765.

Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccl. 19.

Ubi statuta non observantur, talis Religio est sicut pomarium undequaque apertum, quod fructus suos, non proprietariis, sed viatoribus fructificat & reddit. S. Fr. de Sales. l. 2 epi. 1.

S. Antoninus loquens de quibusdã Religionibus deformatis, ita ait: *Præfatæ Religiones, quæ cum magno fervore & vitæ sanctimoniæ initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt usque ad fundamentum in eis.* 2. part hist. cap. 15 §. 2.

Si parvi pendas Constitutiones & ordinationes sacræ Religionis, quantumvis parva sint, Monachus non es. Blos. in spec. Monach.

Sic minora, imo minima servemus cum nobis possibili, sicut majora & maxima; dicit enim Scriptura: Qui negligit modica, paulatim decidet. Diony. Carth. ser. 6. de Dom. 3.

Qui parva sine scrupulo cõscientiæ admittunt, insensibiles effecti, se sanos existimant, mala sua plangere, & vitam corrigere ignorant - - - - & quamvis parva vulnera videantur, quia tamen nec cavent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperint, debitã curã adhibent, omnino mortifera redduntur. Dac. Abb. in 5. T. Bibl. Patrum.

RELIGIOSO LECTORI.

Cùm juxta Doctrinam Angelici Doctoris, & communem Religiosa professio obliget profitentem, non quidem ut defacto sit perfectus, sed ut semper tendat ad perfectionem charitatis & aliarum virtutum: & quia nonnihil obscurum videtur, in quo consistat ista tendentia, & quomodo, & quantum obliget; hinc varii Religiosi anguntur, quid facere debeant, ut huic obligationi satisfaciant. Declaro in hoc Tractatulo hanc tendentiam consistere in perfecta observantia Votorum, Regulæ & Constitutionum. Quantum verò obligent vota, omitto hîc tractare, quia de hoc egi sufficienter Tract. 1. Exercitior. spirit. cap. 8. *de obligatione verò Regulæ & Constitutionum ibidem tractavi, sed breviter. Verùm cùm illa res sit magis obscura, & multum ab ea dependeat bonum Religionis, requirit ampliorem declarationem, quam expono per hunc Tractatulum, idque in Regula & Constitutionibus Ordinis PP. Prædicatorum, quæ*

obligant ad solam pœnam & ad nullam culpam nisi propter præceptum vel contemptum: in quibus casibus à fortiori obligantur illi Religiosi, quorum Regula & Constitutiones obligant sub peccato. Cùm verò laxiores aliqui Religiosi intelligant Regulam & Statuta sui Ordinis non obligare ad aliquam culpam, vel in aliis Ordinibus ad solam culpam venialem, arbitrantur esse negotium parvi momenti liberè & frequenter illa transgredi, quod tamen valde magnum est, periculosum, & ruina Religionum, prout in sequentibus fusè demonstro; sperans fore ut per hoc confirmentur boni Religiosi in cuncta observantia, laxiores verò intelligentes grande periculum suæ salutis tempestivè resipiscant.

Cùm verò materia hujus Tractatûs sit magni momenti, & ab illa maximè dependeat bonum Religionis, & concernat æqualiter omnes Religiosos Ordines, eam typis committere nolui, nisi priùs illam submisissem accurato examini doctissimorum Virorum & S. T. Professorum in Universitate Lovaniensi & singulis Ordinibus, quorum censuram his adjunxi. Opto, ut DEUS det incrementum, & abundè fructificet!

TRA

TRACTATUS BREVIS
De Obligatione Regulæ & Conſtitutionum in Religioſis Ordinibus.
CAPUT I.
De Paradiſo terreſtri præfigurante Eccleſiam Novi Teſtamenti, eius pulchritudine & defectu.

PLantavit DEUS Paradiſum voluptatis à principio, produxitque de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, & ornavit illum omni pulchritudine, quæ ad oblectationem poſſet deſervire: & fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde di-

dividitur in quatuor Capita, Geon, Phiſon, Tygrim, & Euphratem. Et poſuit in eo hominem, quem formaverat, rectum, & perfectum in anima & corpore, ornatum omni ſcientiâ, gratiâ & virtutibus, inexterminabilem & immortalem, ut DEUM Conditorem ſuum ex toto corde, & ſuper omnia diligeret. Et in recognitionem tantorum beneficiorum impoſuit illi hoc unicum præceptum: *Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed invidiâ diaboli, qui homicida fuit ab initio, mors intravit in Orbem: nam homo, qui obediendo DEO poterat eſſe immortalis & beatus, ſuggeſtione diaboli per inobedientiam receſſit à DEO Creatore ſuo, audivit ſerpentem veneficè incantantem, perdidit DEUM, perdidit ſe, perdidit Paradiſum, immortalitatem, & totam poſteritatem innumeris ſubjecit miſeriis. Hæc in lege naturæ, in qua omnia erant magis corporalia & figuralia.

§.

§. *Primus.*

De Ecclesia Novi Testamenti, sancta & spirituali, & Religioso statu in ea inchoato, à Christo Domino & Apostolis.

2. AT in Nova Lege, spirituali, & veritatis, plantavit quoque DEUS Paradisum voluptatis, sed longè perfectiorem, & pulchriorem, Ecclesiam scilicet Novi Testamenti, totam in spiritu & sanctitate. Jn ea posuit Unigenitum suum, novum Adamum, ut esset caput & exemplar membrorum, & per sanctissimam vitam & obedientiam usque ad mortem reduceret Adami Posteros ad DEUM, à quo per inobedientiam recesserant. Jnsuper plantavit in illo Paradiso vineam electam, Angelicum scilicet statum Religionis, selectam illam Ecclesiæ partem, florem, & pretiosissimum lapidem inter Ecclesiæ ornamenta, hortum illum fortissimè conclusum, Paradisum deliciarum, sanctitatis domum, scholam virtutum, bellatorum stationem, Cœlum terrenum, cujus umbra cooperuit montes,

cujus propagines extenſæ à mari uſque ad mare, & Chriſtus in medio ejus eſt fons irrigans radices ejus, & eam fœcundiſſimam reddens. Ipſe primus vitæ Religioſæ fundamenta poſuit in Palæſtina, & ibidem vixit in ſuprema obedientia, factus Patri obediens uſque ad mortem Crucis: Quod præceptum ingrediens mundum lubens à Patre acceptavit, in virginea caſtitate, in ſumma & tanta paupertate, ut non haberet, ubi caput ſuum reclinaret. Cujus ad exemplum Apoſtoli ſuum Magiſtrum imitati ſunt. Similiter varii illorum diſcipuli.

§. 2.

Quomodo floruerit, ad diverſas mundi partes extenſus fuerit, & de flore & fructu quatuor Ordinum Mendicantium.

3. EXinde eam tranſtulit in Ægyptum: ubi primos Monaſtices Magiſtros poſuit Antonios, Hilariones & plures hujuſmodi ſanctitatis Heroes. Sub quorum diſciplina quandoque tria, quandoque quatuor millia uni Patri ſubfuerunt, & Religioſiſſi-

osissimè vixerunt; homines ex diversis generibus & regionibus nati, ad tantam identitatis sinceritatem coaptati sunt, ut una anima in multis corporibus conspiceretur. Qui infirmus erat corpore, multos habebat affectu ægrotantes. Qui animâ ægrotabat, multos habebat sanantes. Lites & contentiones aberant. Communis charitas omnia communia faciebat, victum, vestitum, labores, orationes & coronas. Hujus vineæ Ducem posuit *Augustinum* in meridie; in Occidente *Benedictum*; in Oriente *Basilium*; in Aquilone alios. Hi omnes in tanta sanctitate vixerunt, ut in Ordine *S. P. Augustini* recenseantur homines Sanctitate clari sexdecim millia & ducenti. Sub Regula *S. Benedicti* referantur canonizati quadraginta quatuor millia, & viginti duo. Quorum quinque millia, quingenti, & quinquaginta quinque vixerunt in uno Cassinensi Monasterio, & ibidem sepulti sunt. Jn Cisterciensi, Præmonstratensi, & Carthusiensi, quasi innumeri in maxima sanctitate floruerunt. Jmò tunc passim omnes Sancti.

4. Tandem divisus est fons ille Paradisi in quatuor capita, sive flumina, quæ egrediebantur de Paradiso ad irrigandam universam terram. Hi sunt quatuor Ordines Mendicantium, qui in spiritu Apostolorum incipientes, progressi sunt per universum Orbem, promulgârunt Evangelium Christi, per mare, per terram, per ignem & gladios, dantes animas suas, ut perditas oves adducerent ad ovile Christi, & innumeras animas doctrinâ sanâ, exemplari vitâ, signis & miraculis extraxerunt è diabolica captivitate, & lucrati sunt Christo. Tantus erat zelus erga salutem animarum, ut in quodam numerosissimo Generali Capitulo Ordinis *S.Dominici*, in quo, nomine Summi Pontificis petebatur, si essent aliqui parati ad prædicandum Evangelium Christi in terris infidelium? Ad unum omnes responderunt se paratissimos. Hi omnes vivebant religiosissimè, in magna sanctitate, in observantia votorum, Regulæ & Constitutionum exactissimi. Jn maxima austeritate & mortificatione corporis, per jejunia, fla-

flagella, catenas ferreas, cilicia, &c. Hi sunt viri Apostolici, æquui fortes & varii, qui rhedam Evangelicam deduxerant in universum Orbem. Hæc est florens illa vinea, quæ dedit odorem suavissimum cunctis populis. Hæc sunt ligna plantata in Paradiso producentia fructus honoris & honestatis.

Sanctissimæ Virgini *Theresiæ* revelatus fuit latissimus campus, quem *S. P. Dominicus* cum maximo exercitu Sanctorum Filiorum occupabat, qui omnes heroicè decertârant contra Hæreticorũ antesignanos, & principes eorũ dæmones infernales. Quorũ nomina scripta erant in vasto volumine, quod eidem Virgini tradebatur. Non minora referuntur in Chronicis *Seraphici Ords*, ac *Montis Carmeli*, in quibus floruerunt doctrinâ & sanctitate præstantissimi Viri sine numero.

§. 3.

Invidet diabolus, quærit diversa media destruendi hanc spiritualem Vineam, & longo tempore non potuit.

5. AD talem phalangem ipse diabolus accedere metuebat, vincere desperabat,

ſe perdere cernebat. Ea propter antiquus ille ſerpens, & callidus tentator, qui primum Paradiſum deſtruxerat, variis modis tentavit ingredi hortum hunc concluſum, nec potuit. Quid tandem fecit? Convocavit omnes principes tenebrarum, inivit conſilium cum ſuis, quâ viâ id perficere poſſent. Unus inter illos cæteris callidior ſuggeſſit, ut viventibus *Dominico* & *Franciſco* quieſcerent à laboribus ſuis: futurum poſt mortem illorum ut multiplicatis cœnobiis reciperent ad Ordinem nepotes ex affectu carnali: adoleſcentes ſine zelo perfectionis, delicatos & aſſuetos deliciis: Nobiles, ambientes dignitates: Doctores, arrogantes ob doctrinam: ac tandem pro conſervatione Ordinis cogerentur recipere quoſvis: ac proinde tepeſceret tunc zelus, frigeſceret charitas, flacceſceret obſervantia; & ita facilè poſſent intrare hortum iſtum, pro tunc nimis fortiter concluſum, & vineam hanc electam devaſtare. Placuit conſilium omnibus, expectârunt oportunum illud tempus, & immiſerunt vulpeculas

las diversas in vineam istam, ut eam validè demolirentur: incipientes à minimis, ne nimis paterent ipsorum insidiæ, & sic via disponeretur ad majora. Nam callidus hostis ita decipit, cùm nobis persuadet, parva non magni facere, inquit *S. Anselmus*, sciens, ubi parva negliguntur, quòd totus Ordo paulatim dissipatur & destruitur, cùm sine parvis istis stare non possint majora, (inquit *D. Hieronymus*.)

§. 4.

Incepit illam cautè destruere à minimis, & successu temporis eam destruxit in diversis mundi partibus, & quibus mediis.

6. INcipitur ergo hujus electæ vineæ devastatio à parvis dispensationibus & dissimulationibus; sensualitas incepit habere locum; exercitia spiritualia flaccessere, oratio mentalis, meditatio, recollectio quotidiana, examina conscientiæ, reflexio super omnia opera sua, communicatio sui ipsius apud Superiorem, seu quod apud nos Capitulum quotidianum, sive de culpis vocatur, pro sola forma, & non seriò fieri,

vel omitti, hæc & ſimilia ad vitam religioſam traducendam omninò neceſſaria. Jnde ulteriùs progreſſum eſt. Ad quid (inquiunt) tot Conſtitutiones, quæ retineri non poſſunt? Sufficit nobis Regula. Poſt hæc iterum: Ad quid toties legere Regulã, quam tenemus memoriter? Sufficiant nobis vota. Tandem eò devenitur, ut vulpeculæ fiant vulpes, & devaſtent vineam, uſque ad fundamentum in ea. Recipiuntur divitiæ, augmentantur cenſus, fiunt Monaſteria magnifica, portantur pecuniæ &c. Cum his (inquiunt) ſtare poteſt paupertas ſpiritus. Servi DEI debent benè tractari, nihil ipſis deeſſe debet, ne cogantur illa quærere apud ſæculares. Jbi radix incontinentiæ, nã venter plenus eſt ſeminarium libidinis. Non in omnibus (inquiunt) parendum eſt obedientiæ. Struuntur convivia, invitantur amici, reinvitantur Religioſi, deſeritur Officium Divinum, negligitur ſtudium, fit frequens converſatio cum ſæcularibus. Finaliter verificatur illud Pſalmiſtæ: Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum

rum, & factum est illis in scandalum, & non ipsis tantùm, sed scandalosa ipsorum vita perdidit innumeras animas in populo Christiano.

§. 5.

Stupenda & deploranda ruina.

7. QUomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Denigrata est facies Nazaræorum super carbones, non sunt agniti in plateis. O quantum distamus ab his, qui in diebus *Antonii* fuerunt Monachi! Sic *Macharius* vixit? Sic *Basilius* docuit? Sic *Antonius* instituit? Siccine alii fundatores Ordinum filiis suis talia documenta reliquerunt? Væ nobis! (inquit *S. Thomas à Villa Nova*) quia solùm nomen vacuum Religionis, tonsuram & habitum gestamus.

8. Plangite nunc Patres super filios vestros, in quibus sanctus DEI timor aut recessit, aut friget. Filii Sion quondam incliti & amicti auro primo, plangite super vos & super filios vestros, quòd nomen Sancto-

ctorum Parentum inaniter gestatis Sic vivendo, sic operando procul aberitis à recipienda mercede centupla, & vita æterna, quando post horam undecimam, dum serò factum erit, Pater-familias ad solvendum operariis redierit.

CAPUT II.

In quo exponitur vera & prima origo hujus ruinæ.

9. Mirum fortassè alicui videri posset, quomodo eminens ille perfectionis status à sanctissimis viris, DEO inspirante & adjuvante, ita firmiter fundatus, tot propugnaculis munitus, in quo sancta Regula, sanctæ Constitutiones, continuæ exhortationes, per verba & exempla, tot sancta Exercitia, quæ est vera Turris Davidica, ex qua mille clypei pendent, in qua est omnis armatura fortium, contra diabolum, mundum & carnem. Mirum, inquam, videri posset, quomodo fortissima illa turris, tot munita præsidiis, ita deficere potuerit. Verùm enim verò si quis benè consideret, quòd perfectissimi illi Principes Cœli, tot

gra-

gratiæ auxiliis confortati in veritate non steterunt: non mirabitur, quòd lutea illa & fragilis creatura inter tot pericula & tot hostes deficiat. Quòd igitur defecerit, ita id fecit inimicus homo, qui continuò circuit, quærens quem devoret. Jdque dum homines dormirent, hoc est, dum Superiores negligentiùs agerent, & minus vigilarent. Vel cùm præcipua Religiosorum supposita dormitionem acceperant. Quod in diversis sæculis, ex diversis malis ortum habuit. Nam ut referunt Chronica Ordinis Prædicatorum, circa annum Dñi 1348. tam horrenda Pestis desævit per universam Europam, ut vix decimum hominem reliquerit. Tunc præcipui Religiosi zelo animarum inflammati, ne infectorum animæ simul cum corporibus perirent, posuerunt animas suas pro animabus proximorum. Et hoc modo præcipuis Suppositis morte sublatis, reperit dæmon opportunitatem bonam, suffodiendi hanc mysticam Turrim.

Aliis quoque sæculis arripuit ansam per bel-

bella & hæreticos, invaſit Eccleſias, Monaſteria devaſtavit & concremavit. Sacerdotibus, præſertim Religioſis, graviſſimas perſecutiones intulit, & immaniter occidit; adeò ut crudelitatem inexplicabilem, quam præcedenti adhuc ſæculo exercuerunt totam ferè Europam, ſingulariter tamen in Partibus noſtris, non tantùm cognoverimus ex Hiſtoricorum monumentis, ſed Patres noſtri, qui hæc viderunt & experti ſunt, narraverunt nobis filiis ſuis. Quid igitur mirum, quòd diabolus in occaſione adeò deſiderata ita profundè ſuffoderit Religioſam hanc vineam, deſtruxerit maceriam ejus, ita ut omnibus prætereuntibus patuerit deſolatio ejus!

10. Contra quæ mala hoc noſtro ſæculo omnium Religionum Superiores indefeſsè laborârunt, ut quæ collapſa erant, reſtaurata conſervarent, & ulterius promoverent. Jdque cum ingenti profectu, in tantum, ut modò in ſingulis Religioſis communitatibus ubique Religioſè & regulariter vivatur, & in illis quamplurimi veri & ſancti

Re-

Religiosi inveniantur. Quorum bonæ famæ nihil officit, quòd inter illos reperiantur aliqui difformes, dissoluti & falsi fratres: numquam enim seminatur tam purum triticum, cum quo non metitur lolium: & ab initio non fuerit tam sancta familia, in qua non aliquis degener & perversus fuerit. Prout *S. Augustinus* ostendit à Cœlo Empyreo, & ab Arca Noe usque ad collegium Apostolorum inclusivè. Per quæ defendit bonam famam domûs suæ, contra quosdam obtrectatores, qui ex paucis perversis volebant optimas communitates infamare.

11. Volens igitur sanctis conatibus bonorum Superiorum utrumque cooperari, & diversorum desiderio facere satis, qui dudum desideraverunt, ut ea, quæ in Exercitiis spiritualibus nimis diminutè à me scripta erant, magis ampliarem: hunc parvum tractatulum scripsi, ut obligationes Religiosæ Regulæ & Constitutionum magis explicarem. Jdque non ex proprio cerebro, sed ex sensu Sanctorum & Majorum

no-

nostrorum, ponendo breviter hinc & inde eorum verba, & brevitatis causâ, sæpiùs solum sensum. Qui hæc latiùs legere desiderat, legat Tractatum illum, quem totum conscripsit ex sententiis Sanctorum Patrum doctissimus P. M. *Joannes Baptista Lezana*, Sacri Ordinis *Beatæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo*, cujus exemplaria à pluribus desiderantur. *Zanchez* in decalogum *cap.* 4. & 5. *Peyrinus tom.* 1. *c.* 15. *per totum. Julius Negronius* in Tract. Ascetico de Cura Minimorum.

§. 1.

Declarantur causæ propinquæ hujus ruinæ.

12. UT igitur diabolicis istis machinationibus efficaciter occurratur, operæ pretium erit in primis detegere callidas illas foveas, per quas Satanicæ illæ vulpeculæ ingrediuntur mysticam hanc vineam, ut vastari possint.

Tales foveæ sunt neglectus Orationis & Exercitiorum spiritualium, quæ hîc superiùs retuli, aut tepida eorum executio, ni-

mia extra Monasterium evagatio, nimia familiaritas & inordinata conversatio cum sæcularibus, tametsi specioso titulo fieri videatur. Ostendit *Granatensis*, quòd tales subinde lucrentur aliorum animas, & suas perdunt. Otiositas & neglectus studii, exemptiones, privilegia, & indiscretæ dispensationes, ambitiones, divisiones per diversas ligas, negligentes Prælati, mala educatio Novitiorum; & communissima fovea est negligentia & contemptus seu parva æstimatio parvarum Constitutionum & regularum, per quam imperceptibiliter destruuntur florentissima Monasteria: hoc ultimum potissimùm in sequentibus declarare intendo.

§. 2.

Ponitur remedium, quô ruina restauratur.

13. QUid igitur facto opus, ut his malis alteriùs occurratur, & eliminentur? Nihil profectò aliud, quàm illud ipsum, quod Sapiens præscribit, dum ait: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*

neas. Capiuntur tunc vulpes parvulæ Satanicæ, quando in Religionibus minima quæque in Regula & Constitutionibus exactè observantur.

Quapropter ut perniciosæ istæ vulpeculæ à religiosa ista vinea excludantur, & hortus iste fortiter concludatur: necessè est ampliùs declarare fallacia fundamenta, quibus innituntur Religiosi illi transgressores, & illa efficaciter refutare, & fallaciam declarare, ne habeant ulteriùs ansam ad excusandas excusationes in peccatis. Nam cùm proditur dolus, cùm fraus aperitur, cùm convincitur falsitas, rectissimè tunc dicitur vulpes capta, inquit *S. Bernardus Serm.* 64. *in Cant.* Allegant itaque tales Religiosi, aliàs boni, in sui excusationem illa, quæ in sequentibus fusiùs declarantur.

CAPUT III

Ponuntur excusationes, quibus se excusant transgressores in transgressionibus suis, & refutantur.

14. PRimò igitur allegant, quòd Consti-

tutiones ſunt res parvi momenti in ordine ad perfectionem.

2. Quòd hæc ita faciunt cum licentia & diſpenſatione Superiorum; & quòd illum vivendi modum ſic invenerint: & quòd maxima pars communitatis, & multi Viri docti ſic vixerunt, & etiamnum vivunt: ac proinde quòd Conſtitutiones & antiquæ illæ Leges per contrariam Conſuetudinem, & legitimam præſcriptionem ſint abrogatæ.

3. Dicunt: Jllæ Leges etiamſi adhuc obligarent, obligant ſolùm ad Veniale, per quod non poſſumus excludi à Cœlo.

4. Dicunt alii: Regula & Conſtitutiones noſtræ non obligant ad culpam aliquam, ſed ad ſolam pœnam, ac proinde non minuitur per tranſgreſſiones perfectio, ad quam obligamur.

§. I.

15. RESpondetur ad *primam* excuſationem, quam prætexunt continui transgreſſores: quòd in Religione exactè obſervare Regulam & Conſtitutiones, etiam mini-

mas

mas, eſt res magni momenti, continet maximam perfectionem, addit illam votis, & conſervat vota.

I. *Probatur*: Quia diabolus, volens deſtruere Religioſam obſervantiam, incipit à minimis, ut ſupra dictum eſt: Ergo à contrario, qui vult in ſe conſtruere obſervantiam, debet à minimis incipere; quia hoc parat viam ad vota, ſicut obſervantia votorum parat viam ad ſervanda Præcepta, inquit *S. Thomas quodlib.* 4. *ar.* 23. & ſine illis difficile eſt, ſervare Præcepta.

II. *Probatur.* Ex verbis SS. Patrum, quos citare ad longum omitto brevitati ſtudens: dicunt etiam, quòd Religioſum ad obſervantiam, etiam minimorum, impellere debet cordialis amor DEI & perfectionis virtutum, ad quæ tendere DEO promiſit: inſuper & ædificatio proximorum, ad quam præ omnibus Chriſtianis peculiari obligatione Religioſi adſtringuntur. Præterea quòd nihil eſt parvum, quod DEI causâ fit. Quod DEO placet, & ipſi gratum eſt. Quod DEUM ipſum meretur in mercedem

Qui à minimis incipiunt, in maxima proruunt, sive in bono, sive in malo, & *Christus* ipse *B. Magdalenæ de Pazzi* mandavit, dicens: Tanti facias Regulam, statuta & vota tua, quantum volo ut me æstimes. Et de parvis defectibus & peccatis inquit *S. Bernardus*: Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est (inquit) impœnitentia, blasphemia in Spiritum Sanctum irremissibilis.

III. *Probatur*: Christus dixit *Mat.* 5. ℣. 17. *Quòd non venit solvere legem, sed adimplere*: adimplevit legem, & maximè perfecit illam superaddendo ei aliqua, quæ parva videbantur. Exempli gratiâ, Legem, *Non occides*, datam antiquis, perfecit quàm maximè, addendo illi: *ut ne quidem irascamur*; ubi lex de *non occidendo* cum maxima perfectione superaddita continetur in *non Irasci*. Nam, qui ne quidem irascitur, longissimè abest ab occisione Similiter qui ita constitutus est, ut ne quidem venialiter ve-

lit offendere DEUM, perfectissimè implet legem charitatis, & longissimè abest à mortali odio. Quam perfectionem accipit ab observantia legis in parvo, ut videtur. Similiter ergo respectu voti castitatis maximum quid addit, qui ne quidem vult oculum figere in muliere, quod habet ex observantia Regulæ. Jterum: Qui nihil vult recipere, quod non statim plenissimè submittit liberæ dispositioni Superioris, perfectissimè implet votum paupertatis. Perfectissimè obediens est, qui Superiori usque ad minutissima promptè obtemperat, & causam quare sic, vel aliter præcipit, non indagat. Has perfectiones accipiunt vota ab observantia parvarum Constitutionum, in quarum observantia continetur votorum observantia, & superaddunt majorem perfectionem. Quia Constitutiones ordinantur ad perfectionem votorum, inquit *S. Thomas* infrà citandus.

Jnsuper: Signum est evidens perfectæ dilectionis, quòd aliquis ita dispositus est, ut nequidem in minutissimo velit esse DEO in-

infidelis, sed promptè & alacriter omnia illi solvit. Cedit hoc quoque plurimum in DEI honorem. Est DEO gratissimum, & rumpit viscera misericordiæ DEI nostri, adeò, ut liberalissimè super tales Religiosos thesauros gratiæ suæ effundat, eos specialissimo auxilio gratiæ præservando ab omni malo, & promovendo admirabiliter in omni bono. *Vide latiùs de his Alphonsum Rodericium de Perfectione part. 1. Tract. 1. cap. 9. & sequentibus.*

IV. Probatur: Ex gratiis & beneficiis, quibus à DEO præmiantur, qui sua statuta exactè observârunt. Refert *S. Bernardus* visionem de quodam sancto viro *Gerardo*, cui ante mortem revelatum fuit à *Christo*, quòd nulli Religiosi sui Ordinis perirent, qui diligenter observarent statuta & Regulas suæ Religionis. Idem revelatum fuit *S. Thomæ*, ut habetur in Vitis Fratrum Ordinis *Prædicatorum*. Et *S. Mater Teresa* refert diversos Religiosos, qui in perfecta observantia Constitutionum vixerant, sine Purgatorio ascendisse ad Cœlum. Qui ve-

rò referuntur in actis Generalium Capitulorum Ordinis nostri obiisse cum opinione sanctitatis, semper ferè additur quòd in observantia Constitutionum fuerint exactissimi. Econtrà autem referuntur in diversis historiis gravissimæ punitiones eorum, qui negligentes fuerant in observantiis, etiam parvis, suarum Constitutionum, quas brevitatis causâ omitto. Refert varias *Petrus Damianus*, & *P. Engelgrave, in Luc. Evangelica*, in Sermone super Evangelium Dominicæ 6. post Epiphaniam. Et *in Vitis Fratrum Ords Prædicatorum parte* 5. *cap.* 5.

CAPUT IV.

Secunda Excusatio (Quòd hæc ita faciunt cum licentia &c.) *allegata refutatur.*

16. AD secundam Excusationem respondetur: quòd Superiores acceperint potestatem in ædificationem, non in destructionem, & vera dispensatio requirit causam necessariam, honorem DEI vel majoris boni in proximis, quæ in relaxata vita regulari non reperiuntur. Superiores sine prædictis causis dispensantes sunt du-

ces

ces cæcorum, & subditi utentes tali dispensatione cum ipsis simul in foveam inferni cadunt. De quo subjungo, quæ habet Religiosissimus *Pater Joannes Nider, de Reformatione Lib.* 1. *Cap.* 11. *hoc modo:*

Sextò sequitur: *Quòd dispensatio, quæ hodie passim in multis Religionibus fieri videtur, & dissimulationes in continua non tentione silentii in interdictis locis & temporibus: in fractione continui jejunii regularis, in perpeti comestione carnium: in lineis vestimentis, & culcitris penneis seu lectorum usu frequenti: in fuga à choro & cantu Divini Officii: in usu tonsuræ & habitibus prohibitis: in negligentia studii litterarum: imò potissimè in appropriatione pecuniæ & similium, quæ in Regula & statutis sunt prohibita, non sunt dispensationes, sed dissipationes; in quibus nec Prælatus potest dispensare, nec subditus talem dispensationem accipere. Apud multos igitur obtinet vulgaris ista definitio: Dispensare est cum licentia infernum intrare.* Hæc ille.

Et in deformatis & relaxatis communitatibus, non oportet sequi majorem par-

tem, quia ibi major pars ingreditur amplam & ſpatioſam viam, quæ ducit ad perditionem. Et forma vivendi non à pluribus, ſed ab honeſtioribus ſumenda eſt, inquit *S. Bonaventura.* Tales ſunt, qui vivunt regularem vitam in profeſſione promiſerunt, quamvis in numeroſiſſima communitate forent ſolùm duo vel tres. Excuſatio illa, quòd talem vivendi modum ibi invenerint, non indiget reſponſione, ſed emendatione. Et viri docti ſic viventes, præter commune peccatum tranſgreſſionis, peccant graviſſimo peccato ſcandali, quòd vitam ſuam non conforment ſanæ doctrinæ coram puſillis.

Neque habet hîc locum præſcriptio ad abrogandas Conſtitutiones & Regulam; quia nullo tempore, quamvis longiſſimo, poteſt peccatum præſcribere contra virtutem, nec malum contra bonum.

§. I.

Refutatur 3. Excuſatio.

QUod 3. alii producunt in excuſationem ſuarum tranſgreſſionum, nimirùm, quòd Re-

Regula & Statuta non obligent ad mortale, sed ad solum veniale; ac propterea se per transgressiones non posse excludi à regno Cœlorum: est indigna excusatio pro viro religioso, qui profitetur perfectionem, est responsio meri servi & mercenarii.

Ut refutetur hoc malum fundamentum, breviter referam ex communi sententia Theologorum & dictis Sanctorum Doctorum, quanta mala & pericula contineantur in peccatis venialibus, ut illis cognitis terreantur omnes, & abstineant ab illis, præcipuè Religiosi: Loquor præcipuè de peccatis venialibus, quæ committuntur deliberatè & sine urgente causa; non verò de illis, quæ committuntur per inadvertentiam, aut ignorantiam, vel fragilitatem, quæ permittuntur à DEO in justis ad exercitium humilitatis, & facilè dimittuntur.

§. 2.

De malitia peccati Venialis, & quàm graviter à DEO puniatur.

18. ILluminatiss. Doctor P. *Joannes Tau-*

lerus dicit: Quòd nullâ linguâ explicari queat, nec ullo intellectu capi, quanta malitia contineatur in uno peccato veniali, quàm pernitiosum sit animæ, & quanta mala adferat eidem. Jn primis continet contemptum & injuriam in DEUM quodammodo infinitam, propter infinitam dignitatem offensi, & maximam vilitatem offendentis. Sine comparatione major est injuria, quæ irrogatur DEO per unum veniale peccatum, quàm si aliquis occideret proprium parentem, loquendo de injuria, quæ præcisè fit parenti.

Plurimum displicet DEO ac offendit illum, qui tam magnus est. Omnia mala pœnalia hujus mundi, ut ignes, cruces, laniena, gladii, &c. Omnes difficillimi morbi totius mundi, ut calculus, iliaca passio, sciatica, podagra, & omnia simul juncta, comparari nequeunt cum malitia unius peccati venialis, quocirca deberet quis secundùm rectam rationem præeligere millies ac millies intrare ardentem fornacem, quàm vel unum veniale peccatum deliberatè committere.

Po-

Potiùs toleranda est omnis mors pœnalis, imò annihilatio, quàm unum veniale admittere. Quocirca rectè quidam Sanctus: Malo dæmonum adire domicilium, quàm vel levi noxâ DEUM offendere.

Si Sanctissimæ Virgini daretur optio, utrùm duorum præeligeret, admittere nimirùm peccatum veniale, vel videre Filium unigenitum subire omnia tormenta transacta, (si sine peccato id fieri posset) & liberare posset omnes homines ab æterna damnatione: mallet Christum hæc omnia iterum pati, imò ipsamet vellet hæc potiùs omnia ei infligere. *S. Brigitta de Revelation.*

Punit DEUS illud frequenter in hoc sæculo gravissimis pœnis, qui tamen tam justus est. *Moyses* & *Aaron* propter levem incredulitatis culpam terrâ promissionis privati sunt, ac morte puniti. *Oza* ob levem irreverentiam commissam erga Arcam, à Domino morte percussus interiit. *David* ob curiositatem commissam in numerando populo punitus fuit peste, quâ

paucis horis obierunt 70000. Varij Sancti Patres dicunt in his solùm veniale fuisse commissum.

Jn futuro illud punit dirissimâ pœnâ ignis, qui tamen adeo misericors est. Nam omnes pœnæ hujus sæculi non sufficiunt ad levem aliquam noxam expiandam. Leguntur in diversis Historijs varij gravissimè puniti, & diutissimè in flammis purgatorijs ob leves noxas, quas videre licet *in Luce Evang. Engelg.* qui multa ibidem horrenda scribit de peccatis venialibus. Disponit quoque ad mortem animæ, sicut febris disponit ad mortem corporis. Præterea ita liberè & sine causa continuò committere peccata venialia in causa est, quòd plurimi in æternum damnentur. Quia secundùm communem doctrinam Theologorum, hujusmodi liberis Transgressoribus in pœnam peccatorum, negat DEUS sæpè speciale auxilium gratiæ, quando urget tentatio ad peccatum mortale, & ita succumbunt tentationi, & peccant mortaliter. Et sic progredientes, ex uno mortali inci-

dunt

dunt in aliud; quia peccatum posterius est pœna peccati prioris: ac tandem in peccatis vitam finiunt, & æternùm damnantur. Quam doctrinam quilibet graviter apprehendere debet. Jnsuper pulchritudinem animæ maculat, fervorem charitatis, DEO adeo gratum, facit flaccessere. Jn actionibus bonis meritum gratiæ & gloriæ impedit, retardat à consecutione regna Cœlorum. Religiosi deberent plus deplorare unum veniale, quàm simplices sæculares diversa mortalia.

19. Et quod valde mirum alicui videbitur, sed nihilominùs verum: Quòd sæpè periculosius peccatur in parvis peccatis, quàm in magnis. Jn ore duorum testium fide dignissimorum hæc veritas confirmatur, Chrysostomi videlicet & Greg. Magni, ita loquentium: *Mirabile quiddam, atque inauditum dicere audeo; solet mihi nonnunquam non tanto studio magna peccata videri vitanda, quanto parva & vilia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit, hæc autem, hac ipsa re, quia parva sunt, desides*

reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ noſtrâ. Chryſoſtomus Hom. 87. in Matth. *Nonnunquam deteriùs in parvis, quàm in magna culpa peccatur. Major enim quò citiùs agnoſcitur, eò enim celeriùs emendatur: minor verò, dum quaſi nulla creditur, eò pejus, quò & ſecuriùs in uſu retinetur* Gregorius Magnus 3. p. Paſtoralis, Admonitione 34.

Hæc duo teſtimonia æq; efficaciter probant, quòd in frequenti tranſgreſſione minimarum conſtitutionum ſæpè periculoſiùs peccetur, quàm in tranſgreſſione votorum.

Ex his jam dictis liquet, quàm inſipienter loquuntur, qui dicunt: parva ſunt iſta, ſunt tantùm venialia &c. Contra quos meritò graviter excandeſcit *S. Bernardus* ſuperiùs citatus, vocans hoc *impœnitentiam, peccatum in Spiritum Sanctum, & irremiſſibile.*

CAPUT V.

De quarta cauſa, quâ ſe excuſant Tranſgreſſores Regulæ & Conſtitutionum.

20. ALij tandem excuſant continuas tranſ-

transgressiones suas ex eo, quòd Regula & Constitutiones eos non obligent ad aliquam culpam, sed ad solam pœnam taxatam, ac proinde quòd per transgressiones non diminuatur perfectio, ad quam ex vi professionis tendere tenentur.

Hæc excusatio habet majorem apparentiam, quàm præcedentes, & propterea plures per illam inducuntur ad transgrediendum: ac proinde pluribus argumentis & fortioribus refutari debet Et omnia quæ adducentur ad illam improbandam, à fortiori improbabunt tres præcedentes excusationes. Quod ut debitè fiat, explicari debet fusiùs obligatio Regulæ, & Constitutionum illarum, quæ obligant ad solam pœnam. Nam quidquid de hujus obligatione dicetur, à fortiori convenit Regulæ & statutis illis, quæ obligant ad peccatum.

§. I.

Refutatur 4. Excusatio.

21. UT igitur refutetur 4. Excusatio & explicetur obligatio Regulæ &

Conſtitutionum, notandum eſt.

Nota I. Quòd in quibuſdam Religionibus multa continentur in Regula & Statutis, quæ obligant ad peccatum mortale, quæ conſtant ex verbis Regulæ. Expoſuit olim *R. P. Joannes Capiſtranus Eugenio IV.* quòd in Regula *S. Claræ* continerentur 130. præcepta regularia obligantia ad peccatum mortale, quorum ferè omnium obligationem abſtulit præfatus Pontifex. Jta refert *R. P. Marchant in Reſolutionibus caſu* 30.

Jn alijs quibuſdam Religionibus tranſgreſſio Regulæ &c. obligat ad peccatum veniale: quia hæc fuit intentio Superiorum inſtituentium & ſubditorum profitentium.

Sunt & aliæ Religiones, in quibus Regula & Conſtitutiones non obligant Tranſgreſſores ad aliquam culpam, ſed ad ſolam pœnam taxandam. Jta eſt in Ordine Prædicatorum, in quo Regula & Conſtitutiones obligant ad ſolam pœnam, niſi propter præceptum, vel contemptum, Conſtat ex prologo Conſtitutionum, *Tex-*

tu

tu 6. *litteram.* & *ex S. Thoma* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9.

Nota II. Quòd præcepta Superiorum sunt in duplici differentia: aliqua vocantur præcepta formalia, quæ fiunt sub hac verborum forma: Præcipio hoc, vel illud, in virtute Spiritûs Sancti & Sanctæ Obedientiæ, &c. Et hujusmodi præcepta obligant ad mortale, etiam facta in materia aliàs indifferenti, dummodo habeat motivum multum conducens ad regularem observantiam. Exempli gratiâ: Hoc modo sæpè præcipitur, ne Religiosi ingrediantur mutua cubicula, ne ingrediantur hanc, vel illam domum: ne comedant, vel bibant in civitate, & alia similia.

Alia præcepta sunt simplicia, vel materialia, quæ Superiores sæpè faciunt oretenus, sine certa verborum forma, ut dum dicunt: Volo, vel mando, ut hoc, vel illud facias. Et hujusmodi præcepta non obligant ex se ad aliquam culpam, nisi esset magna materia, sed in Ordine Prædicatorum ad solam pœnam, ut patet ex prolo-

go

go Constitutionum Text. 4. *littera L. & in Cap.* de Novitijs in declarationibus ad textum 3. *in fine. Ubi & ratio additur.* Ex quibus constat, quòd Constitutiones & Regula, quæ obligant ex se ad solam pœnam, propter superveniens præceptum formale, obligent ad peccatum; quia tunc fit contra obedientiæ votum, inquit *S. Thomas.*

CAPUT VI.

Utrùm in Religionibus, quarum Regula & Constitutiones obligant ad solam pœnam, citra præceptum aliquando adhuc obligent ad peccatum.

I. RESpondetur: Religiosos esse in statu perfectionis, ~~non~~ acquisitæ, sed acquirendæ. Perfectio illa consistit in charitate perfecta, & aliarum virtutum. *S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 6. in corp.*

II. Respondetur: Religiosos inde perpetuò obligari ad ea, quæ perfectionis sunt, quæ obligatio oritur ex voto professionis paupertatis, castitatis & obedientiæ. *Idem ibidem.*

III. Respondetur: Religiosi ex vi pro-

fessi-

fessionis tenentur semper tendere & operam dare, ut habeant charitatem perfectam: quæ tendentia consistit in observatione votorum, Regulæ, & Constitutionum. *Idem art.* 7. *ad* 1.

IV. Respondetur: Votum professionis principaliter respicit tria vota: alia verò omnia, scilicet Regulam & Constitutiones, quæ ad vota ordinantur, respicit secundariò. Ideo transgressio votorum obligat ad mortale: aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, sed ad solam pœnam taxatam, nisi propter contemptum, vel præceptum: Quia contemptus contrariatur professioni, per quam vovimus regularem vitam. Transgressio præcepti ipsius Prælati, vel Regulæ est contra obedientiam. *Ibidem art.* 9. *in Corp.*

Nota I. Circa hanc responsionem: quòd aliqua anneẞuntur voto professionis pro diversitate Religionum, prout congruit eorum diverso fini, vel honestati, quæ obligant sub peccato: ut persolvere Horas Canonicas, frequentare chorum, studere di-

diligenter *S. Scripturæ, Theologiæ,* præſertim morali, & controverſijs, pro Ordinibus Mendicantium, abſtinentia à carnibus, pro Carthuſianis, cibus Quadrageſimalis, pro Minimis, deferre habitum ſui Ordinis, pro omnibus, non egredi monaſterium furtivè, & maximè noctè, quod *Clemens VIII.* poſuit inter caſus reſervabiles; cui vicinum eſt: egredi monaſterium cum licentia obtenta mentito titulo, ut prætextu eundi ad infirmos, ire ad alia conſortia; quia inde nata ſunt ſequi gravia mala in præjudicium Religionis, præſertim quando fit nocte. Jdem eſt judicium de ſimilibus.

Nota II. Sæpè contingere, ut in tranſgreſſionibus Conſtitutionum, in quibus ſubditi incurrent ſolam pœnam, Superiores graviter peccent, ſi per illas tranſgreſſiones vident graviter relaxari obſervantiam Regularem,& non conantur pro poſſe illa emendate.

V. Reſpondetur: Religioſus non tranſgreditur ſuam profeſſionem, ſi non ſit perfe-

fectus, sed solùm si contemnat ad perfectionem tendere. *Ibidem art.* 9. *in corp.*

V. Respondetur: Duplici modo contemnit Religiosus ad perfectionem tendere: I. formaliter, quando elicit actum hunc: nolo subjici Regulæ & Constitutionibus. II. Quandò per notabilem negligentiam & talem incuriam omittit tendere ad perfectionem, qualis explicatur *Resp*.8. Quod est contemptus interpretativus.

VII. Respondetur: Religiosi Ordinis Prædicatorum in transgressione suarum constitutionum possunt peccare venialiter, vel mortaliter ex negligentia, ira, vel contemptu. *Idem art.* 9. *ad* 1.

VIII. Respondetur: Religiosi Ordinis Prædicatorum, & aliorum Ordinum, quorum Regula & Constitutiones non obligant ad aliquam culpam, diversis modis peccare possunt, mortaliter, vel venialiter, in illarum transgressione.

1. Quando illarum transgressio provenit ex mala causa, quæ est peccatum.

2. Quando etiam sine mala causa, cum

con-

contemptu virtuali fit transgressio.

3. Quando ipsa transgressio Constitutionum est causa peccati.

Explico singula cum Exemplis.

§ I.

Explicatur primus transgrediendi modus.

23. PRimus modus, quo transgressio Regulæ & Constitutionum est peccatum, contingit, quando illa oritur ex causa peccaminosa. Ratio est: Quia malitia causæ transfunditur in effectum, & exinde opera alias bona fiunt peccatum: ut eleemosyna data pauperi mulieri ad fornicandum cum illa, est peccatum mortale. *S. Thomas citatus respons. 7.*

Jta peccat graviter, qui ex formali contemptu transgreditur Regulam & Statuta. Quod tunc contingit, quando ideo transgreditur, quia non vult illis subjici, idque, vel ex malitia, vel quia judicat illa irrationabilia, vel nullius momenti. Ratio est: Quia hoc directè contrariatur voto professionis, quo obligatur per illa media tendere ad perfectionem. Jnsuper, quia

quia causa, ex qua procedit transgressio, est peccatum, scilicet contemptus. *S. Bernardus* ait: *Neglectus culpabilis, contemptus damnabilis est.*

Similiter peccant, qui Regulam & Constitutiones volunt continuò transgredi, & pœnas subire recusant. Ratio est: quia hoc expressè contrariatur voto Professionis, in quo promittit vivere secundùm Regulam & Constitutiones, quæ requirunt, ut illa observet vel subeat pœnam.

A talibus non prout absunt illi transgressores, qui pœnas inviti subeunt, & murmurant contra illas, ac si eis fieret injuria.

Peccant etiam, qui ignorant Statuta & Ordinationes sui Ordinis, & negligunt illas legere & addiscere: quia tales convincuntur ex hoc nolle implere ea, ad quæ per professionem se adstrinxerunt; quocirca talis ignorantia & negligentia, ex qua peccant, non excusat, quia est de illis, quæ tenentur scire

Jlli quoque, qui ex ira, ut se vindicent

con-

contra Superiorem, murmurant tempore silentij: vel ex mera gula frangunt jejunia Ordinis, & sic de alijs: peccant quoque venialiter, vel mortaliter, secundùm qualitatem causæ, ex qua moventur ad transgrediendum.

Pro quibus tamen nota: Quòd in casibus positis & alijs similibus, transgressio Regulæ vel Constitutionum non habet distinctam malitiam à malitia causæ, ex qua procedit Ita in præsenti sufficit in confessione dicere, in I. casu, commisi peccatum gulæ in materia levi. Jn II. casu, murmuravi graviter, vel conspiravi contra Superiorem.

Debetur tamen illis peccatis duplex pœna: una, quia sunt peccata: altera, quia sunt contra Regulam, vel Constitutiones, quæ ad specialem pœnam obligant.

§. 2.

Explicatur secundus transgrediendi modus hîc supra positus. 2. Quando etiam &c.

24. PRæcipua difficultas hîc est de continua transgressione Regulæ & Con-

Constitutionum sine aliqua mala causa, sed ex nulla, vel frivola, ex mala consuetudine.

Utrùm in tali transgrediendi modo contineatur peccatum? Et quale peccatum? Quæ res visa est semper valde obscura, & ejus resolutio à multis dudum desiderata.

Ad quam difficultatem respondeo: Si tales transgressores, dum subinde advertunt suum irregularem modum vivendi, pœniteant de illo, & proponant se emendare, & utcumque conantur, quamvis valde periculosum sit ita vivere, puto tamen in illo non contineri virtualem contemptum. Quia contemptus tollitur per pœnitentiam & emendationis propositum, sive per hoc, quòd judicent se malè facere, quando advertunt continuas suas transgressiones, & ita implicitè dolent, quo circa talis vivendi modus videtur pertinere ad fragilitatem humanam, & nondum pertingere ad contemptum.

Si verò illi transgressores continuò & quâmvis occasione habitâ, liberrimè transgre-

grediuntur Regulam & Constitutiones, cum nulla aut frivola ratione, & in hujusmodi transgressionibus perseverant per hebdomadas, menses &c. Et hoc subinde advertentes, neque cogitant, neque curam aliquam habent de emenda. Tales vivunt in statu valde periculoso, & proxima dispositione ad formalem contemptum; quinimò in tali transgrediendi modo reperitur interpretativus, seu virtualis contemptus, ac consequenter peccatum, & continuò sunt in malo statu.

Jmò, ut inquit D. *Dionysius Carthusianus*, tota taliter viventium vita est continuum peccatum. Et confessiones, quas faciunt, & sacrificia, quæ offerunt, sunt magna sacrilegia, verba illius postea referam.

Probatur: Nam contemptus est voluntaria sine causa continuata legis transgressio. Jta *R. P. Magister Petrus Martyr in Summario Constitutionum nostrarum parte* 2. *cap.* 21. *de contemptu refert ex diversis.* Atqui hoc reperitur in præfatis transgressionibus, ut patet.

2. Quia

2. Quia tales transgressores per liberum illum transgrediendi modum sine causa continuatum ostendunt se nihili facere Regulam & Constitutiones. Et ostendunt eandem pravam dispositionem, quam habent, qui formaliter contemnunt, solùm differunt, quod hi apertè & pejori modo faciunt, quod illi faciunt implicitè & interpretativè. Ponunt idem obstaculum tendentiæ ad perfectionem: & sunt proximè dispositi ad formalem contemptum; quia si tales seriò moneantur, obvium est, ut respondeant: Non curo, nolo aliter facere, parvum vel nihil est hoc. Et refert præfatus Pater in præfato Summario in diversis locis, de illis, qui frangunt jejunia regularia sine causa, similiter de his, qui utuntur lineis ad carnem, qui frangunt continuò silentium, & in similibus perseverare intendunt, dicit, quòd disponantur ad damnabilem contemptum. Fuit hic vir doctissimus, & in regularibus Constitutionibus versatissimus.

Peccatum verò, quod sic vivendo com-

mittitur, directè contrariatur professioni, per quam aliquis promisit Regularem vitam, inquit *S. Tho.* 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *in corp.*

Si quis objiciat, quòd *S. Thomas* loco citato ad 3. dicat: Quòd frequentia peccati dispositivè inducit ad contemptum. Ergo in ea nondum est contemptus.

Respond. Quòd *S Thomas* ibi loquatur de contemptu formali, ut patebit legenti eum. Cui conformia sunt jam dicta à nobis, quòd virtualis contemptus inducit formalem.

§ 3.

Explicatur tertius modus transgrediendi Regulam & Constitutiones cum peccato.

25. COmmittitur quoque peccatum mortale vel veniale in transgressioneRegulæ vel Constitutionum, quando ipsa transgressio est causa peccati, vel est scandalosa trahens alios ad peccatum, vel propinquè disponit ad peccatum, vel tales sunt transgressiones, ut notabiliter enervent, vel relaxent disciplinam & observantiam regularem.

Nam

Nam malus effectus habet malam causam. Singula illa declarabo in sequentibus probationibus.

Pro quo iterum nota: Quòd in hujusmodi transgressionibus non reperiatur duplex distincta malitia, ita ut sit alia malitia transgressæ constitutionis, & alia sit malitia peccati, quod ex illa sequitur, sed eadem sit causæ & effectûs. Exempli gratiâ: Qui frangendo silentium litigat cum Fratre, & dicit ei graves contumelias, sufficiet ei dicere: Dixi graves contumelias fratri. Et idem de similibus.

26. Patet 1. veritas responsionis in transgressione silentij. Nam ubi continuò frangitur silentium, non potest esse Religio, secundùm quod scribit *Apostolus Jacobus Epist. Can. cap.* 1 *& Sanctus Hieronymus in Epist.* Religio Sancta non potest esse in loquacibus Et *S. Augustinus*, qui non custodit linguam suam, Monachus non est. Et sicut ex silentio religioso omnia bona oriuntur, quæ in specie recenset *Joannes Climacus in scala*, ita ex loquacitate oriun-

tur omnia vitia, quæ refert *S. Antoninus p. 1. tit. 2. c. 4.*

Jnter alia negligitur reflexio super actiones suas, & seria recollectio sui ipsius, ad vitam religiosam tantoperè necessaria. Negligitur studium pietatis & devotionis. Negligitur studium Sacræ Scripturæ & Theologiæ, ex quo redduntur inepti confessarij in ruinam animarũ, & infructuosi concionatores. De quo dicit solemnis ille Theologus *P. Dominicus Bannez*, quòd Dominicanus, qui quotidie non studet per notabile tempus, graviter peccet. Jdem dicendum est de alijs Ecclesiasticis, qui habent tales functiones. Jtem per continuam loquelam fiunt jurgia, murmurationes, detractiones & innumera alia peccata, per quæ fiunt quotidie pejores. Similiter qui frangunt jejunia Ordinis frequenter & sine causa, fiunt magis ac magis gulosi, carnales, immortificati, appassionati, & alienati ab omni bono honesto. Et ita se ipsum examinanti per alias constitutiones, apparebunt alij defectus, & deprehen-

hendet post multos annos, in Religione transactos, se multò pejorem esse, quàm erat, dum Religionem intraret. De quibus verificatur illud *Thom. à Kempis*: Multi computant multos annos Religionis, sed paucos Religiosæ conversationis. Et aliud: Multi sunt veterani in Religione, sed vix Novitij in observatione. Quando igitur, & in quo, & per quas actiones tendunt hujusmodi Religiosi ad perfectionem charitatis & omnium virtutum, in quibus consistit religio, verè igitur dicunt *Hieronymus Augustinus* & alij Patres, quòd tales non sunt Religiosi, qui tamen ut Religiosi in rigore judicabuntur.

2. *Probatur.* Quia continua transgressio Regulæ & Constitutionum redundat paulatim in transgressionem votorum: Nam secundùm *S. Thomam* supra citatum, hæc ordinantur ad votorum observantiam, & sunt quasi nervi, quibus fortiter manet colligata. & subsistit vita Regularis, & illis per transgressionem sublatis, enervatur & corruit Religio. Sicut in civitate, destru-

ěto antemurali & propugnaculis, facilè ruit murus, intrat hoſtis & vincitur civitas. Ita quoque quando Religioſus circa mandata Superioris incipit inquirere, quare hoc, quare illud, quare ego, & quare non ille, &c. facilè progreditur & dicit: Ego hoc facere non teneor. Tandem, ego hoc facere nolo. Similiter, Religioſus, qui contra ſtatuta ſua incipit parva incipere ſine licentia, expendere, alienare, paulatim illa creſcunt, & fit proprietarius. Sic etiam quando ſolus incipit loqui cum fœminis, deinde familiariter agere cum illis, recipere litteras & munuſcula, finaliter ſequitur incontinentia.

III. Probatur: Quia liberi illi Tranſgreſſores verbo & exemplo trahunt alios ad deplorandum ſuum vivendi modum, & ſic paulatim deſtruuntur præclariſſimæ Religiones, quæ à ſuis Fundatoribus in maximo ſanctitatis rigore ſunt inſtitutæ, & cum magna ædificatione populi dudum floruerunt, idque cum irreparabili damno, graviſſimo præjudicio honoris DEI, ſcandalo

lo sæcularium, & perditione infinitarum animarum, quas Religiosâ vitâ potuissent Christo lucrari.

Jn talibus Religiosis locum habet terribilis illa visio *Sancti Pachomii*, quam vidit de futuro statu sui Ordinis. Jllam reperire licet in vitis Patrum conscriptis à *S. Hieronymo* in Vita *S. Pachomii*. Et in gemitu Columbæ *Cardinalis Bellarmini*. Legant illam, & in illa reperient lumen, quo evadant periculosas suas tenebras.

30. Tandem hæc omnia probantur efficacissimè, illa præsertim, quæ habentur in Responsione octava ex Doctrina Divi *Dionysii Carthusiani de Reform. Claustr. Cap.* 6. Qui de talibus Religiosis ita scribit: *Quamvis multa contineantur in Regulis & Statutis Religiosorum, ad quæ non tenentur de necessitate præcepti, ita quòd statim peccent mortaliter, quando in aliquo fuerint negligentes, ut est observantia silentii, surgere alacriter ad Matutina, otiositates vitare, inutiliter hinc inde discurrere, atque similia; verùm consuetudo excedendi, seu assiduitas de-*

linquendi in istis, & non curare, neque emendare, non potest à mortali excusari peccato, (scilicet propter contemptum saltem virtualem) propterea Religiosi deformati, in quibus parva, aut nulla, est rigoris, aut disciplinæ observantia; qui carnaliter aut sensualiter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni sunt, otiositati & loquacitati vacantes, in innumerabilia prorsus incidunt vitia & peccata, non venialia tantùm, sed & mortalia, imò tota illorum vita est quasi peccare continuum: præsertim quia & hæc ipsa bona, quæ agere videntur, tam negligenter, irreverenter, & tepidè, tam inordinatè, atque indebitè agunt, ut magis sit offensivum DEI, quàm honorativum, ac reconciliativum ipsius. Tales enim qui in fœcibus suis jugiter manent, qualiter confitentur? Qualiter celebrant? Qui se in nullo emendant, imò de multis, quæ mortalia sunt, nullam sibi conscientiam facere comprobantur. Hæc ille vir, quem *Bellarminus de Script. Eccles.* doctissimum ac sanctissimum vocat. Jn quâ Doctrina (quæ nimium vera est) si benè consideretur à laxis Religiosis, videbunt tanquam

in

in speculo sordes conscientiæ, & evidens periculum æternæ damnationis.

31. Quapropter hæc doctrina incutere deberet maximum timorem omnibus Religiosis, tam Superioribus, quàm Inferioribus, & illos eò adigere, ut seriò recolant diem Professionis suæ, in qua spontaneâ & sincerâ mente se totos DEO consecrârunt. Promiseruntque, quòd omnibus diebus vitæ suæ usque ad mortem vivent secundùm Regulas & Constitutiones, non prout hîc, vel ibi servantur, sed prout in se sonant. Verùm è contrà, vix emissâ professione statim prætendimus dispensationes, Privilegia, licentias generales, & exemptiones à quibusvis Regularibus observantijs, per quæ Religio irreparabiliter decidit, & redigitur ad nihilum. Quasi verò eminentissimus ille & Angelicus status totus consistat, ut maxima DEO promittamus, & ex promissis DEO nihil reddamus. Insignis perfectio! Scriptum est: *Vovete & reddite DEO vestro; displicet DEO stulta & infidelis promissio.* Et quod

gravius eſt, Superiores ad talia indiſcretè concedenda quodammodo compellimus, ſocios in tale adjutorium nobis conjungimus, & bonis Superioribus, hæc & ſimilia reformare volentibus toto conatu obſiſtimus, ſocios in perditionem trahimus, & poſteris noſtris viam ad infernum ſternimus, idque uſque ad diem judicij, quorum omnium peccata veniunt ſuper illos, qui ſcandalum illud poſuerunt. Quia ut ait Seraphicus Doctor: *Quicunque aliquod exemplum aliis relinquunt, ſive bonum, ſive malum, particeps eſt imitatorum ſuorum, ſive in ſupplicio, ſive in præmio ſempiterno.* Quemadmodum Dux exercitûs, qui permittit militibus devaſtare pagum, eſt omnium peccatorum reus, & reſtitutioni totius damni obnoxius. Vide notabilem ſententiam *S. Matris Tereſiæ de Via perfect. cap.* 13.

Dignetur nobis optimus Pater præbere lumen, ut tempeſtivè denſiſſimas has tenebras evadamus, ne ſetiùs deploremus cum impijs apud Sapientem: *Erravimus à*

via

via veritatis, & Justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Apprehendant hæc Superiores, qui suâ negligentiâ, & indiscretâ Indulgentiâ horum omnium sunt principalis causa. Attendant quoque ad hæc omnia Superiores & Confessarij Monialium, ut illas frequenter admoneant de tanta obligatione Regulæ & Constitutionum, etiam minimarum.

CAPUT VII.

Sequuntur aliquæ objectiones contra prædicta.

OBjiciunt I. Qui semel aut iterum frangit silentium V. G. non peccat, vel si peccet, tunc sequitur, quòd quævis transgressio Constitutionum sit peccatum, ac proinde quòd numquam obligent ad solam pœnam. Vel si semel aut iterum frangere silentium non sit peccatum, ergo neque erit peccatum centies frangere, quia omnes transgressiones sunt ejusdem rationis. Similiter potest fieri argumentum de alijs Constitutionibus.

32. Ad quæ reſpondetur: Quòd licèt quælibet tranſgreſſio ſecundùm ſe præcisè ſumpta ſit ejuſdem rationis cum prima & ſecunda tranſgreſſione, conſiderata tamen cum pluribus alijs, per notabilem negligentiam iteratis, prout declaravi jam ſuprà Reſponſione 8. Habent poſteriores aliquid, quod non habent priores, ſcilicet interpretativum contemptum, ut patet ex Reſponſ. 8.

II. Objiciunt ad hæc: Eſto foret peccatum tranſgredi dicto modo Conſtitutiones: attamen quòd hodie aliquis frangat ſilentium, foret ſolùm veniale peccatum unum, vel plura. Vel quòd aliquis frangat jejunium Ordinis ſine cauſa & licentia, eſt ad ſummum veniale peccatum, faciat ſimiliter cras, & perinde, forent ſolùm venialia: ſed venialia multiplicata non faciunt unum mortale. Quemadmodum, ſi quis hodie in lectione Horarum omittat aliquot verſus, ſimiliter faciat cras & perinde, manerent ſolùm tot venialia. Idem reperitur, ſi aliquis in parvo frangit jejuni-

nium Ecclesiæ diversis diebus, non constituitur ex illis peccatum mortale. Ergo similiter dicendum videtur, quòd multiplicatæ transgressiones Constitutionum non poterunt unquam constituere peccatum mortale.

33. Respondetur: Quòd quando multi actus venialiter peccaminosi uniuntur in objecto seu materia, tunc ultimus ille actus, in quo completur notabilis materia, vel in qua vult permanere, illa voluntas est peccatum mortale, ut videre licet in parvis furtis. Ut, decies surripere unum assem, sunt tot venialia, licèt semper accrescant; sed quando sic pervenitur ad decimum sextum, vel vigesimum assem, tunc velle retinere illum assem cum præcedentibus, committitur peccatum mortale. Idem contingeret, si aliquis in Jejunio Ecclesiæ eadem die sæpiùs sumeret parum cibi, ultima sumptio fieret mortalis, in qua completur notabilis cibus assumptus Quando verò multi actus non sic uniuntur, tunc licèt sæpiùs iterati, manent solùm

venialia, ut contingit in duobus ultimis exemplis positis in argumento.

Jn præsenti verò, frangere frequenter jejunia Ordinis, silentia & similes majoris momenti Constitutiones cum frivola aut nulla causa, uniuntur in hoc, quòd aliquis maneat irreligiosus, immortificatus, totus sensualis, non progrediatur in via virtutum, maneat imperfectus, & post multum temporis sæpè pejor, quàm dum Religionem intraret, quæ omnia graviter militant contra obligationem, quam in professione assumpsit & sequuntur alia detrimenta Religioni superiùs relata.

III. Objicitur contra prædicta: Ego vivo secundùm Regulam & constitutiones, tametsi frequenter transgrediar, quando paratus sum ad taxatam pœnitentiam subeundam pro transgressionibus, quia Constitutiones non plus requirunt, ut patet ex prologo, ubi dicitur: quòd Regula & Constitutiones non obligant nos ad culpam, sed ad solam pœnam.

Respondetur: Quòd obligent nos ad so-

solam pœnam secluso contemptu; in continua transgressione Constitutionum sine causa reperitur interpretativus contemptus, juxta dicta responsione 8.

IV. Conqueruntur, quòd in tantum multiplicentur Constitutiones & Ordinationes quòd vix possint memoriâ retineri, quomodo ergo poterunt impleri? Et onus novæ Legis, quod Christus leve & suave prædicavit, videtur in Religionibus per diversa statuta adeò aggravari, ut tandem de jugo Religionis dici poterit, quod Apostolus *Petrus* de antiqua lege dixit: Quòd nec nos, nec Patres nostri portare potuimus.

34 Respondetur: Quòd per diversa & multiplicata statuta additur onus votis nostris, sed non est onus aggravans, sed allevians, prout *S. Bernardus* dicit de lege Evangelica in ordine ad legem antiquam moralem: *Additur* (inquit) *onus oneri, & minus onerat; & sic oneri gravissimo leges accedens quadriga Evangelii, & auxit perfectionem, & minuit difficultatem.*

Quem

Quemadmodum, si equo, qui deberet portare duodecim saccos tritici, addas currum, ita Regula & Constitutiones adjunguntur votis ad alleviandum onus eorum.

Neque etiam onus, quod addunt, est difficile: nam quando pulsatur ad Ecclesiam, æquali facilitate potest quis omnibus relictis statim ire, quàm hærere per medium quadrantulum, & seriùs venire. Et audito signo silentij æquè facilè potest statim discedere, quàm in locutorio longiorem protrahere moram. Idem est de alijs observantijs. Neque sunt ita multiplices, quin facillimè possint retineri, si quis ex amore perfectionis, quam professus est, legat & relegat subinde capitulum aut alterum: Quia sæpè legimus multa vana, & benè retinemus. Ad quod etiam hortatur *Humbertus* quondam Generalis Ordinis Prædicatorum, dicens: *Lectio diligens Regulæ & Statutorum propriæ professionis, necessaria est, quia* (inquit) *fit contra Regulam frequenter, quando non legitur Regula.*

V.

V. Alij sunt, qui vellent observare Regulam & Constitutiones, tamen incipiunt & pergunt transgredi statuta sua cum Socijs, quia timent illos offendere, vel obloquia ipsorum, vel quia non audent publicè agere contra communem consuetudinem, ne videantur singulares, vel agere tanquam Novitij, vel habeantur tanquam scrupulosi, vel hypocritæ.

35. Rr. Si propter observantiam Regularem, ad quam obligor, incurro indignationem, & displiceo socijs meis, non est hoc curandum, teste Apostolo, dum dicit: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Nam sic displicendo hominibus magis places DEO. Consuetudo illa communis Religiosorum aliorum corruptela est Religionis, ac ideo detestanda. Et non à pluribus, sed ab honestioribus forma sumenda est, inquit *S. Bonaventura in Speculo p. 1. c. 2.*

Neque est mala singularitas servare communes regulas & statuta, ad quæ tota communitas obligatur. Neque est Novi-

ti-

tiorum exactè sua statuta observare, qui nondum illis obligantur, sed professorum. Imò & quantò seniores sunt professione, gradu, vel officio, tantò plus obligantur ad eorum observantiam: Quia debent bono suo exemplo ædificare juniores, monstrando, quantum profectum in via perfectionis fecerunt, & in illa progredi usque ad mortem, prout promiserunt. Nec est hypocrisis facere id, quod debeo, sed sincera fidelitas: Neque exactè observare sua statuta est scrupulosum, sed Religiosum. Et quietare conscientiam suam in hoc, quòd illorum transgressio non sit peccatum, est astuta diaboli persuasio, per quam subtiliter inducit, & suaviter illaqueat Religiosos in sensuali illa libertate, & ita paulatim destruit observantiam: quia hæc est vera radix, ex qua semper prodit ruina Religionum in sanctissimis Monasterijs, ut observatum est à pluribus sanctissimis Viris.

VI. Multi à parvis incipiunt sua facere sine licentia Superiorum, & paulatim pergunt ad majora; tandem in nullo petunt li-

licentiam. Quia pudet illos frequenter accedere Superiores; ac eò confidentiùs, quia existimant, quòd Superiores nolunt continuò molestari.

36. Rr. Sed pudor ille, vel potiùs superbia illa, est nimis pernitiosa, quia nata est auferre totam promissam obedientiam, & Religiosos iteratò transferre ad propriam voluntatem, quod Sacrilegum est: boni superiores, qui cogitant, quòd de vita singulorum debebunt reddere rationem, libenter volunt & debent scire, quid singuli agant: quomodo aliàs de vitâ illorum poterunt reddere rationem Christo Domino supremo Judici? Deinde incipiunt quævis oblata recipere sine licentia, & ita perit paupertatis votum. Tandem quærunt conversationem mulierculàrum, à quibus hæc recipiunt, ac ita periclitatur castitas, propter quæ DEUS primò ab ipsis desertus, deserit illos; & meritò subtrahit lumen ab intellectu, ut videntes hæc non videant, aufert à voluntate emollientem gratiam, & ita obdurantur, ne in horum omnium

transf-

transgressionibus amplius scrupulum sentiant, & ipsi, sic quietè morientes, sepeliuntur in inferno.

CONCLUSIO.

PErpendant hæc frequenter & accuratè omnes Religiosi, qui faciles sunt in transgrediendo Regulam suam & Constitutiones; considerent, (inquam) quàm periculosum sit ita vivere, & quàm horrendum sit ita mori; quid tales respondere poterunt in hora mortis justissimo Judici Christo, quando exactè repetet pretiosum illud talentum Religiosi Statûs, in quo quotidie debebant progredi de virtute in virtutem, tendere ad majorem perfectionem, producere quotidie fructus in lucrum animarum verbo & exemplo? Cùm tamen ècontra, prout clarè videbunt in hora mortis, vitam suam esse deteriorem, quàm dum ex sæculo primitùs ad Religionem venerunt, in vinea Domini se spinas protulisse, non uvas: dedisse se proximis exempla pravitatis, & non charitatis. Si servus ille Evangelicus, qui talentum suum

di-

diligenter custodierat, sit graviter reprehensus, & ligatis manibus & pedibus missus in tenebras exteriores, quia in illo negotiatus non fuerat, & lucrum non adferebat; quid fiet de nobis, qui non tantùm lucrari neglеximus, sed talentum ipsum irreligiosè vivendo dissipavimus? Quomodo indignationem irati Domini perferre poterimus, qui ex tam magnis promissis nihil solvimus? Quia in Religione non perfectè vivere, summa damnatio est, (inquit *S. Eusebius.*) Perpendamus igitur hæc tempestivè, antequam talentorum Dominus redeat ex longinqua profectione, & incipiat nobiscum inire exactam rationem: ubi tunc singula exactè computabuntur, & secundùm rigorem justitiæ punientur.

Donet igitur Dominus, ut Regulam & Constitutiones exactè observemus, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores: & ubi nos invenerimus ea, quæ scripta sunt, facientes, agamus gratias Domino bonorum omnium Largitori: ubi verò sibi quicunque nostrûm viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de fu-

futuro, orans, ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Jta S. P. *Auguſtinus* finit ſanctam ſuam Regulam.

Finio & ego hunc tractatulum ad majorem DEI gloriam, ſi ſubjunxero hanc brevem regulam *S. Caroli Borromæi*, quam ſequendo pervenit ad apicem perfectionis, quæ talis eſt:

A minimis incipe,
Semper progreditor,
DEUM ſemper ante oculos habe.

Quod nobis concedere dignetur totius perfectionis Magiſter & Origo Chriſtus JESUS, qui eſt DEUS ſuper omnia benedictus Amen.

VOtum - - - non tardabis reddere (ait Scriptura Deut: 23.) quia requiret Dominus DEUS tuus illud (nam) si moratus fueris tibi reputabitur in peccatum. Multo melius non vovere quam post votum promissa non reddere. Displicet DEO infidelis & stulta promissio Eccle 5. Ruina est homini (ait Sacer Proverbialista Cap. 20.) devorare (seu alii legunt devotare) Sanctos & post vota retractare. Vovere Consilii est, sed reddere necassitatis iuxta Glossam in illa verba Psalmistæ: vovete & reddite quæ distinxerunt labia. Ne transgradiaris terminos antiquos quod posuerunt patres tui Pro. 28. qd. Ne transgrediaris limites morum quos Patres fixerunt, ut aliter agere velis quam ab illis sancitum est. Corn. a Lap. hic. Idem in Cap. Prov. qui post vota inquirit rem aliquid deteriorem, quam pro meliori DEO vota si erroget & substituat &c. Religiosus debet

respicere Regulam ut mulier vana speculum San. Vin. Fer. de San. Fran. Seraph.

Venire quidem ad eremum summa perfectio est, non perfecte in eremo vivere summa damnatio est. SS. Eusebius & Cæsarius.

Illos gehenna devorat qui in habitu Religionis negligenter vivunt S. O. Clunia.

Vere optimum exemplum bene vivendi reliquit nobis omnibus I E S U S Christus, ipse Magister omnium, ipse Liber & Regula Religiosorum. Thom. Kęm. Ser. 3tio ad Novitios. *Estote ergo vos perfecti sicut & Pater Vester Cœlestis perfectus est.* Matt. 5. (*concludit Christus*)

DIS-

DISSERTATIO

De Statu religioſo Præloquium.

Quatuor hoc de argumento volumina edidi, quorum primum inſcribitur *Commentarius hiſtorico-apologeticus &c.* alterum: *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica.* Adverſus hanc: *Diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam* duo prodiere volumina; unum inſcriptum: *Vindiciæ Regularium;* alterum hac epigraphe inſignitum; *Vita Clauſtralis.* Hos duos libellos revera famoſos plenos erroneis Commentis, fabellis, & dicterijs contrivi, & penitus labefactavi, opere inſcripto, *Defenſio Decretorum Concilii Tridentioni,* in duo volumina diſtributo, atq; juſſu Sapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. edito. Ex his pauca decerpam.

CAPUT I.

Status Religiosi notio, & eiusdem obligatio aspirandi ad perfectionem evangelicam.

I. QUÆSTIO I. *Quid sit status Religiosus?*
℞. Est via facilius perveniendi ad perfectionem Evangelicam. A virtute Religionis quæ inter morales eminet, nomen suum sortitur sacer hic Status; idcircò Religiosus appellatur. Stabilitatem & immobilitatem secum, adfert. Ut sit talis, requirit approbationem ab Ecclesia factam, ut habetur ex Concil. Later. IV. Cap. *Nimia.* Necessaria est quoq; Professio trium votorum juxta aliquam ex Regulis approbatis â Sede Apostolica. Hinc singuli Ordines suam propriam Regulam habent, & Constitutiones, ad quarum normam statum Religiosum profitentur.

II. QUÆSTIO II. *Utrum Religiosi teneantur sub gravi peccato tendere ad perfectionem 2.* ℞. Quæstio hæc perspicua indiget explicatione. Omnes Christiani sive Laici, sive Ecclesiastici, sive sæculares, si-

ve

ve claustrales, præcepto ligantur aspirandi ad perfectionem. Fortasse imperitis veritas hæc impervia erit. Sciant ergo oportet, perfectionem hanc de qua nunc nobis sermo est, in caritate sitam esse, ut Evang. & omnes Patres docent. Hinc *S. Th.* 2. 2. *q*. 186. *a*. 2. describit statum Religiosum quod sit: *disciplina quædam, seu exercitium perveniendi ad perfectionem.* Ut enim Religiosi facilius & expeditius, hanc metam attingant, tria Consilia Evangelica ad quæ revocantur cætera vovent: Hæc tria vota sunt instrumenta, & veluti currus rotæ, quæ viam sternunt ad hoc pallium assequendum. Omnia præcepta Evangelica, sunt media necessaria, consilia sunt instrumenta libera, ordinata ad præceptum caritatis Hoc præceptum est finis & meta omnium præceptorum & Consiliorum. Neq; in Consiliis igitur neq; in cæteris mandatis, sed in sola caritate sita, est perfectio Evangelica, ad quam sub præcepto aspirare omnes tum Christiani, tum viri Religiosi astringuntur. Cum Christus di-

xit: *Eſtote ergo vos perfecti. Sicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.* Matt. 5. Non Monachis non Clauſtralibus hoc intonuit, ſed omne prorſus genus humanum allocutus eſt,cũ tunc nec Monachi necClauſtrales eſſent.

III. Craſſo ergo obvolvuntur errore Chriſtiani qui exiſtimantes hanc perfectionem Evangelicam quid ſupererogationis eſſe, & Conſilij, viriſq; duntaxat Religioſis competere, nihil conantur ad eam conſequendam. Caritas hæc ſeparat animam ab amore mundi, & eorum quæ in mundo ſunt, eamq; conjungit DEO. Et quo magis anima ſeparatur à concupiſcentia carnis, à concupiſcentia oculorum, à ſuperbia vitæ, ut inquit *S. Joan Epiſt.* 1. *Cap.*2. eo intimius DEO conjungitur. Ad hanc unionem cum DEO omnes Chriſtiani ex præcepto aſtringuntur. Ergo omnes Chriſtiani ad caritatis perfectionem tendere obligati ſunt. Hoc duntaxat diſcrimen eſt, quod Chriſtiani per ſolam præceptorum viam currere ad perfectionis me-

metam tenentur. Viri autem Religiosi, ut eam ipsam metam facilius assequerentur, Consilia amplexi sunt evangelica, & eadem tribus solennibus votis servanda sibi imposuere.

IV. Christiani igitur vigiles sint oportet in servandis præceptis, quæ orationis studium, sensuum custodiam, & carnis compressionem, æquitatem, cordisq; puritatem jubent, quia hæc & cetera omnia mandata, ut dixi sunt instrumenta necessaria, perveniendi ad caritatis perfectionem, seu conjunctionem cum DEO. Et quoniam hæc conjunctio major atq; intensior in uno ac in altero est, ideò unus altero perfectior evadit.

V. Contra viri Religiosi, præter hæc præcepta servare tenentur tria vota, & propriam Regulam & Constitutiones, quas Sancti Patriarchæ, Divino afflante Numine præscripsere, tanquam media quæ adjuvant, & facilius conducunt ad præstitutam metam.

VI. Unde inquies, colligere possu-

mus visos sive Christianos, sive Religiosos implere hoc præceptum aspirandi ad perfectionem? Christiani qui à vanis pompis, à Luxu, à fastu, ab occasione violandi præcepta Decalogi vigilanter abstinent; qui in orationis studium incumbunt; qui justitiam & æquitatem servantes, cuiq; quæ sua sunt tribuunt; quiq; sibi fieri vellent, alijs faciunt; qui proprij status officia implent: hi signa perhibent, se per viam Evangelicæ perfectionis ambulare.

VII. Si Christiani ipsi proprij status Officia, & munia regendi familiam, educandi filios, providendi domesticis necessaria, & cetera omnia implere debent; quanto magis propriæ Religionis munia, vota, ritus, statuta Legesq; exequi tenentur viri Religiosi? Unde verò colligi poterit viros Religiosos perfectionis studio operam sincero animo impendere? Forsitan ex observantia silentij, ex orationis assiduitate, ex sensuum, carnis, & appetitionum compressione, ex votorum paupertatis castitatis & obedientiæ executione

ne? Perfecto hæc omnia signa, satis probabilia sunt, at interdum fallacia. Hæc enim omnia hypocrisis fructus esse valent. Ut ille viam sibi paret ad regimen,ad præfecturas, ut sibi existimationem viri religiosi, & proprij instituti observatoris, comparet, exequi præfata omnia potest, & sub Sacræ Religionis pallio diaboli martyr evadere. Quænam ergo animi aspirantis ad perfectionem Christianam argumenta? Caritatis exercitia, amor erga omnes, patientia & tolerantia injuriarum, animi candor, lingvæ sinceritas, mentis docilitas, mundanarum rerum contemptio, politicorum respectuum proculcatio, pectoris evangelici fortitudo, sermones Christi, carni & sangvini hostiliter adversos, palam profitendi studium, propriæ existimationis mundanæ, neglectus. Hæc sunt indicia, quæ animum in perfectionis Christianæ studio percurrentem indicant: Siquidem reperiri media sine fine queunt. At finis consistere sine medijs nequit. Possunt itaq; cæremoniæ & observatio-

nes votorum, Constitutionum aliorumq; rituum extrinsecus apparere veste nuptiali destitutæ, & hypocrisis larva tectæ. At Caritatis exercitia, quæ sunt illorum finis, sine eisdem stare non queunt.

VIII. Hinc colliges non satis proprio muneri satisfacere illos Regularium Superiores, qui in suis Capitulis continenter clamant adversus quasdam cæremoniarum transgressiones, & vix aliud inculcant suis subditis, quàm silentij custodiam, chori frequentiam, jejuniorum & quarundam genuflexionum observantiam. Laudo hæc omnia; sed illud doleo, quòd prætermittant hortari, persvadere, & urgere ad caritatis exercitia. Accensa enim flamma, hac in Religiosorum animis, cætera omnia spontè fluunt. Caritatis quippe planta est fæcundissima, fructus pariens, ad æternitatem maturos. Caritas benigna est, patiens est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, omnia sustinet, omnia suffert, non quærit quæ sua sunt, sed quæ IESU Christi, non reformidat sæculi potentiam,

non

non pertimescit adversariorum calumnias sed impavido pectore verbo, & opere Christi legem & propriæ. Professionis munia exacte implet Jgnis iste Cælestis semper ardet ubi adest, & flammas continenter emittit. Si arderet in Superiorum cordibus, dubio procul favillas suas immitteret in subditorum animos. Jlli ergò qui neglecta caritatis prædicatione, cæremoniarum tantùm observationem inculcant, ipsi se caritate impleant, ut hanc in alios transfundentes, optimos sibi subditos comparent.

IX. Caritas dulcissimo benevolentiæ fædere animos conjungit, efficitq; cor unum, & animam unum. Jn ea communitate in qua aversiones, diffidia, tanctiones contrariæ fervent; in qua Superiores versutiam, vafritiem, cor duplex, lingvam amphibologicam, prudentiæ larva induunt, candore, sinceritate, affabilitate pulsis, caritatis flamma certè non ardet; sed spiritus mendax & mundanus, & scientia, quam S. Jacobus diabolicam appellat do-

minatur. Si Superiores verbis laudant, factis tergiversentur, negent, spondeant, illudant, velificentur, adversentur, prout temporum rationes ferunt, inter subditos & ipsos Superiores; deprehensa illorum vafritia; nulla sinceritas, nullus animi candor, caritas nulla viget. Sed ècontra murmura, dissidia, aversiones, & perpetua bella grassantur. Superiores qui aperto animo, sincero corde, ingenua lingva subditos colligunt & amplectuntur, illos sibi devinciunt, obligantq; illo ipso tempore, quo favores denegant, dum impertiri salva lege nequeunt. Verùm in semitam à diverticulo alioquin oportuno revertamur.

X. Religiosi ergo illi qui neglecto Orationis, mortificationis, pœnitentiæ, abstinentiæ & propriæ Regulæ atq; Constitutionum exercitio, ea solum peragunt, quæ prætermittere nequeunt, qui ludis, fabulationibus otio, solatijs diverticulis indulgent, qui sumpta cappa, aut pallio civitatem circumeunt, curiosa sectantur; qui si mensa ad palatum non sit instructa, obmur-

murmurant, Superiorum exhortationes & mandata derident, & super eisdem jocantur, fabulantur, controversantur, non Evangelicæ perfectionis, sed æternæ damnationis viam percurrunt.

XI. Ut multa in pauca contraham, omnes Christiani sive laici, sive Religiosi aspirare ad Evangelicam perfectionem vi præcepti sub mortali astringentis tenentur, sed medijs varijs, quæ omnia per unicam & arctam viam ad eamdem metam ducunt. Christiani Laici sola præceptorum exacta observatione; Religiosi ad præceptorum executionem addunt trium votorum & propriarum Constitutionum observantiam. Hæc vota, hæ Constitutiones & Regulæ non sunt, inquiunt Patres, sarcinæ & pondera quæ opprimant; sed sunt alæ, quæ iter allevant, & sursum erigunt. Quamobrem status Religiosus, nuncupatur Schola facilius perveniendi ad perfectionem caritatis, ad quam omnes Christiani tendere astricti sunt. Gravius utiq; Religiosi, & scelestius peccant, hoc præce-

ceptum violantes, quam Christiani Laici. Quoniam Viri Religiosi uberiori gratiarum & donorum à DEO copia sunt instructi, faciliùs & commodiùs angustam calcare semitam Evangelicam queunt. Idcirco isti sacri legi, ingrati atq; nequissimi DEI servi habentur, cum tot talenta à DEO accepta prodigunt, & dilapidant. Quando quidem à curis sæculi à mundi periculis quibus miseri Christiani obnoxij sunt, segregati, nihil de victu, & vestitu cogitare coacti, unice vacare DEO, & proprii instituti observantiæ facillimè queunt. Quare dupliciter vapulabunt, si nancisci perfectionem Evangelicam omittent, ne dum contemnent.

XII. Disputare Theologi solent; num satis sit trium votorum observantia, neglectis alijs legibus quæ ad gravem culpam non obligant. & rursus controversantur, num continuata istarum legum transgressio istarum legum inducat contemptum, virtualem, & interpretativum? Verum paucis rem dirimo, tria vota communi-

nia sunt omnibus sacris ordinibus. Quilibet Ordo Religiosus ab altero distingvitur suis peculiaribus Staturis, Regulis,& Constitutionibus. Ergo præter tria vota omnibus communia, necessaria est proprij instituti observantia, alioquin nullius determinati Ordinis esset Religiosus ille qui tria dumtaxat vota servaret. Necessaria itaq; est propriæ Regulæ, & Constitutionum observantia, ut quis dicatur studio vacare Evangelicæ perfectioni.

XIII. Num transgressio hujus aut illius Monasticæ Constitutionis iter intercipit perfectionis Christianæ? Distingvendus est animus constans & firmus propriæ Professionis implendæ, à transgressione hujus aut illius legis ex animi subreptione, & imbecillitate proficiscente. Quotidie labimur omnes. Qui ex infirmitate aliquam legem non obligantem ad culpam, saltem gravem, violant, cespitant, & aliquomodo claudicant in via; at continuo surgunt, animumq; & vires redintegrant, ut celerùs currant: at quia debiles & infirmi

mi ſumus, denuo claudicamus, ac ſimul denuo alas reſumimus plus & minùs, prout magis & minus caritatis ignis ardet in corde. Jlli igitur qui ob communem infirmitatem aliquam Conſtitutionem violant, non ſunt extra perfectionis viam, dummodo animum firmum & conſtantem ſervent propriæ Profeſſionis ſervandæ. Contra qui paſſim proprij inſtituti leges peculiares violant, nihil earumdem tranſgreſſiones curantes, & in eadem corruptela perſeverantes, extra arctam ſemitam ſunt, atq; latam & ſpatioſam perditionis viam percurrunt. Neq; illis quidquam ſuffragatur quod in Conventibus morentur, ubi legum obſervantia, ſaltem majori ex parte, in deſvetudinem abijt, quoniam nulla corruptela contra legem præſcribit. Brevi, vota & Conſtitutiones reciproco nexu conjuncta ſunt Conſtitutiones ſunt votorum præſidia; vota ſunt propugnaculum caritatis. Caritas, vota, & Conſtitutiones ſibi mutuas manus porrigunt. Hoc nexu graviter læſo & diſrupto, totum ædificium

um corruat, necessum est. Qui deliberato animo proprias Constitutiones indiscriminatim violant, mentiuntur, si jactant aut votorum observantiam, aut caritatis exercitium.

XIV. Tria vota necessaria sunt ad Religiosum statum constituendum, & quidem solemni ritu emissa in facie Ecclesiæ: status quippe iste firmitatem, & stabilitatem includit; Tria hæc vota Paupertatis, castitatis, & obedientiæ, bellum perpetuum denunciant tribus mundi malis, quæ S. Joan. *Epist.* 1. c. 2. describit. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* De his tribus votis mox sermo recurret. Jnterim si plura hac de re cupis, lege S. Thomam 22. 2. 186. *art.* 6. & 8.

CAPUT 2dum.

De Voto Paupertatis.

1. PAupertatis Votum est primum vitæ Regularis fundamentum. Jstius voti materia est abdicatio rerum temporalium ma-

manifeſtata à Chriſto Domino Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* Alia duo Conſilia virginitatis colendæ, & voluntatis abnegandæ, hominiſq; auctoritati ſubijciendæ, pauci expreſſit Magiſter Divinus. Verum methodum ipſam, qua Apoſtoli, primiq; Chriſtiani executioni Evangelicæ paupertatis conſilium demandarunt, clarè & diſtinctè *Actor. 2.* deſcribit Evangeliſta Lucas. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat.* Fuſiùs hanc paupertatis formam exprimit *c.* 4. S. Evangeliſta. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia - - - Neq; enim quiſquam egens erat inter illos - Quoquot enim Poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuiq; opus erat.*

II.

II. Hæc est illa Paupertas bonorum communione fulta, quam Christus in suo Apostolico collegio præjecit ut fundamentum cœlestis perfectionis, quæ in caritate sita, amoris & concordiæ vinculo invicem & cum DEO conjungit. Bonorum enim proprietas cupiditatem accendit, & veluti civis seditiosus tumultus, jurgia, & dissidia excitat, corda, animosq́; sejungit, atq; in contrarias abstrahit factiones. Communitas autem, cum omnem auferat proprietatem, radicem quoq́; contentionum, rixarum, & dissidionum revellit, & Cœlestium Bonorum communionem inducit. Connexa enim hæc duo sunt. 1mo *erat cor unum, & anima una.* 2do: *erat illis omnia communia.*

III. Paupertas generatim accepta plures excipit gradus: quorum alter dominium, & usum cujusq́; rei ceu propria excludit; alter dominium, & usum proprium respuit, capacitatem tamen ad dominium retinet; 3*tius*, qui nec dominium absolutè abdicat, nec incapax dominij evadit,

sed

ſed tantum nulla re tanquam propria utitur; 4*tus* nec dominij nec uſus privationem prodit ſed eam dumtaxat bonorum menſuram admittit, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria eſt, & cetera omnia reijcit. Ad hos quatuor gradus omnes alij reducuntur. 1*mum* paupertatis gradum nunc vovent Regulares. 3*tium* nuncupant Scholares Societatis alios duos quiſq; vovere poteſt.

IV. Theologi plurimi hanc exhibent paupertatis monaſticæ definitionem. *Votum paupertatis, eſt voluntaria bonorum temporalium abdicatio, per quam vovens ipſorum proprietate privatur.* alij præſſius ajunt. *Eſt abdicatio dominij.* quæ definitiones ad Metaphyſicæ amuſſim exactæ paupertatem generatim acceptam deſcribunt, ſecus, ut executioni demandandam. Duo in hoc voto iſti diſtingvunt primum eſſentiale vocant in abdicatione dominij ſitum. Alterum accidentale appellant, quod uſum bonorum ſpectat. Hinc inferunt connexionem voti Paupertatis cum bonorum commu-

munitate accidentalem esse, quod de paupertate generatim accepta verum habet: num id ad Paupertatem monasticam explicandam sufficiat? mox dicam.

CAPUT 3tium.

Regulares voventes Paupertatem Evangelicam vovent ipsam Bonorum communitatem.

1. THeologi & Canonistæ omnes docent, Regulares vi præcepti Ecclesiastici graviter obligantis, Bonorum communitati astrictos esse, pulsis peculijs. quod autem hoc præceptum communitatis ipsam voti essentiam ingrediatur, vel extra divagetur, ad id quod caput disputationis est, perinde res se habet. Nam sive Regulares violent directe votum, dum peculium necessitate sublata retinent, sive præceptum, mortale Sacrilegium perpetrant: quare etiamsi falsum esset quod dicturus sum, non propterea aliquid emolumenti inde perciperent Regulares, cum juxta omnes & Theologos, & Canonistas, præcepto gravissimo Ecclesiastico obser-

van-

vantiæ communis vitæ astricti sint.

II. Et ut id quod dicturus sum, evidentius pateat, ob oculos habeamus necessum est, paupertatis votum generatim acceptum, & ab omni circumstantia præcisum, plures excipere gradus, quorum Capite Superiore mentio facta est: nec unum præ alio in hac acceptione prodesse, nec communitatem includere, aut reijcere alterum non minùs manifestum est, quodlibet nempe votum solenne materiam certam, & præfinitam sibi vendicare. Quibus Constitutis evinco quod proposui.

III. Regulares omnes Paupertatem DEO vovent, non incertam, non ad cujusdam Metaphysicæ definitionis amussim exactam, quam aliqui sibi effinxère; sed eam Paupertatem vovent, quæ in eorum Regulis determinata est. Hæc prima propositio ineluctabilis est Paupertas enim latitudinem, & gradus plurimos admittit, ut omnes fatentur, & reipsa constat: ergo voventis intentione determinari debet. Hæc autem determinatio fieri à singulis Re-

Regularibus nequit, alioquin tot essent paupertatum genera, quot sunt voventes, & omnia confusa & perturbata essent. Quamobrem omnes Sacri Ordines suas Regulas habent, in quibus definita est Paupertas, quam omnes ejusdem Ordinis profiteri debent. atqui omnes Regulæ SS. Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci, & omnium Sanctorum Patriarcharum pro materia voti Paupertatis determinant vitam communem. Ergo Regulares voventes Paupertatem vovent vitam communem nisi Propositio secunda vera sit, sponte cadere causa velim. Possem huc transcribere omnium Regularum textus, quos brevitatis studio prætereo. Satis sit in transcursu indicare in omnibus præfatis Regulis similia haberi: *Sint vobis omnia communia*, ut legitis in actibus Apostolorum.

IV. Verum quamvis hæc argumentatio falsa esset, non propterea, ut dixi, licitum peculium foret Regularibus, cum juxta omnes tum Theologos, tum Cano-

nistas gravissimo præcepto Ecclesiastico vitam communẽ servare teneantur cujusq; privati peculij expertem hinc Religiosus omnia sua tum præsentia, tum futura, sub Religionis dominio ponit, ea conditione & pacto ut Religio de ijs Bonis in communem omnium Religiosorum usum disponere, ut sibi expediens visum fuerit, queat: & Religio vicissim eodem vinculo se obstringit victum, & vestitum, & omnia necessaria Religioso præstandi. Porro sicut in quolibet contractu una deficiente parte in suo explendo munere, deficiat quoq; altera necesse est: ita similiter si Religio incongrua victus & vestitus provisione desit officio suo, continuo in Religioso Professo jus oritur naturæ, quemlibet antecedens contractum, victum, & vestitum illum quem Religio tribuere deberet, comparandi. Hoc est totum quod in favorem Religiosorum, & peculij privati dici potest. Cæterum tam Religio, seu Superiores Religionum, quam Religiosi gravissimo præcepto obstringuntur red-
din-

dintegrare contractum, si fractum sit; vel observare, si consistat, ut infra dicturus sum.

CAPUT 4tum.

Decreta Concilij Tridentini, & Constitutiones summorum Pontificum urgent Regulares ad exactam vitam communem, pulsis privatis peculiis.

I. PRætermissis antecedentium Conciliorum, & Pontificum Decretis, quæ vitam communem Regularibus præcipiunt, rescribam dumtaxat ea quæ Tridentinum præcipit *Sess.* 25. *c.* I. Quoniam „ non ignorat S. Synodus, quantum ex „ monasterijs piè institutis, & rectè admi- „ nistratis, in Ecclesia DEI splendoris, „ atq; utilitatis oriatur, necessarium esse „ censuit, quo faciliùs ac maturiùs, ubi „ collapsa est, vetus & Regularis discipli- „ na instauretur, & constantiùs, ubi con- „ servata est, perseveret, PRÆCIPERE, „ prout hoc Decreto PRÆCIPIT, ut o-

 mnes

„ mnes Regulares, tam viri, quam Muli„ eres, ad *Regulæ* quam Professi sunt præ„ scriptum vitam instituant, & compo„ nant: *atq; imprimis, quæ ad suæ Professio„ nis perfectionem, ut obedientiæ, Paupertatis, „ & Castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus „ Regulæ & Ordinis peculiaria vota,* & „ PRÆCEPTA *ad eorum respectivè essen„ tiam,* NECNON AD COMMUNEM „ VITAM, *victum, & vestitum conservan„ da pertinentia, fideliter observent:* O„ mnisq; cura & diligentia à Superioribus „ adhibeatur tam in Capitulis generalibus, „ & provincialibus, quam in eorum visi„ tationibus, quæ suis temporibus facere „ non prætermittant, ut ab illis non rece„ datur, cum compertum sit, ab eis non „ posse ea, *quæ ad substantiam vitæ Regula„ ris pertinent, relaxari.* Si enim illa quæ „ bases sunt, & fundamenta totius Regula„ ris disciplinæ, exactè non fuerint ob„ servata, totum corruat ædificium, neces„ se est.

II. „ Rursus idem Concilium c. 2.

ad-

„ addit: *Nemini igitur Regularium* tam viro-
„ rum, quam Mulierum *liceat bona immo-*
„ *bilia, vel mobilia,* cujuscunq; qualitatis
„ fuerint, etiam quovis modo ab eis ac-
„ quisita tanquam propria, AUT ETI-
„ AM NOMINE CONVENTUS *possi-*
„ *dere, vel* TENERE; sed statim ea. Su-
„ periori tradantur. Conventuiq; IN-
„ CORPORENTUR. Nec DEINCEPS
„ LICEAT Superioribus bona stabilia a-
„ licui Regulari concedere, etiam ad u-
„ sum fructum, vel USUM, ADMINI-
„ STRATIONEM, aut Commendam.
„ Administratio autem Bonorum Mona-
„ steriorum, seu Conventuum *ad solos Of-*
„ *ficiales* eorundem, ad nutum Superio-
„ rum amovibiles pertineat. Mobilium ve-
„ rò usum ita Superiores permittant, ut
„ eorum supellex statui paupertatis quam
„ professi sunt, conveniat: nihilq; super-
„ flui in ea sit: nihil etiam quod sit neces-
„ sarium, eis denegetur. Quot si quis a-
„ liter, quidquam teneredeprehensus, aut
„ convictus fuerit, is biennio activa &

„ passiva voce privatus sit, atq; etiam jux-
„ ta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutio-
„ nes puniatur.

III. Clemens VIII. confirmavit Tridentini Decreta Constit: data Anno
„ 1590. in qua hæc præscribuntur. *imo:*
„ quo *Tridentini* Concl Decreta de *pauper-*
„ *tatis voto* custodiendo fidelius observen-
„ tur; præcipitur, ut nullus ex Fratribus,
„ etiamsi Superior sit, Bona *immobilia*, vel
„ *mobilia*, aut *pecuniam*, *proventus*, *censu*s,
„ *Elemosynas*, sive ex Concionibus, sive ex
„ lectionibus, aut pro Missis tam in pro-
„ pria Ecclesia, quam ubicunq; celebran-
„ dis, aliisve ipsorum justo labore & cau-
„ sa, & quocumq; nomine acquisita, eti-
„ amsi subsidia consangvineorum, aut pi-
„ orum largitiones, legata, aut donationes
„ fuerint, tanquam propria, aut *etiam no-*
„ *mine Conventus*, possidere possit; sed ea
„ statim superiori tradantur, & incorpo-
„ rentur: atq; cum cæteris illis bonis re-
„ ditibus, pecunijs ac proventibus, con-
„ fundantur, *quo communis* inde victus, &

ve-

„ vestitus omnibus suppeditari possit. II.
„ Neq; *Superioribus*, quicumq; illi sint,
„ ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut
„ eorum alicui bona stabilia, *etiam ad u-*
„ *sum, fructum*, vel USUM, *administratio-*
„ *nem, aut commendam* etiam DEPOSITI,
„ aut CUSTODIÆ nomine concedere.
„ III. eorum verò quæ ad necessitatem
„ concessa erunt, nullus quidquam possi-
„ deat, ut proprium, neq; ut proprio uta-
„ tur. IV. Qui in præmissorum aliquo
„ deliquerit, pænas nedum â Concilio
„ Trid: præscriptas, sed alias quippe mul-
„ to graviores Superiorum arbitrio impo-
„ nendas incurrat. V. NULLA *quorum-*
„ *cunq; Superiorum* DISPENSATIO,
„ NULLA LICENTIA *quantum ad bo-*
„ *na immobilia, vel mobilia excusare possit*,
„ quo minus culpa & pænæ ab ejusdem
„ Concilii Decretis impositæ, & ipso fa-
„ cto incurrendæ obnoxij sint, ETIAM-
„ SI SUPERIORES ASSVERENT,
„ HUIUSMODI DISPENSATIONES,
„ aut LICENTIAS CONCEDERE

„ POSSET: QUIBUS EA IN RE FI-
„ DEM MINIME ADHIBERI VOLU-
„ MUS. VI. Fratrum vestitus, & supellex
„ cellarum ex communi pecunia compa-
„ retur, & omnino uniformis sit Fratrum,
„ & quorumcunq; Superiorum, Statuiq;
„ paupertatis quam professi sunt, conve-
„ niat. Nihil etiam quod alicui sit neces-
„ sarium, denegetur. VII. Quæcumq;
„ Fratrum vestes sive laneæ, sive lineæ, o-
„ mnisq; alia supellex in aliquem commo-
„ dum conventus locum deferantur: ibiq;
„ ab uno, vel duobus Fratribus huic mu-
„ neri deputatis diligenter custodiantur,
„ ut inde Superioris arbitrio, prout cuiq;
„ opus fuerit subministrari opportunè
„ possint. VIII. Omnes etiam Superiores,
„ quicumq; illi sint, eodem pane, eodem
„ vino, eodemq; obsonio, sive (ut ajunt)
„ pictantia in communi mensa prima vel
„ secunda, nisi infirmitatis causa impediti
„ fuerint, vescantur: neq; singulare ali-
„ quid, quo privatim quisq; in cibum
„ mutatur, ullo modo offerri possit. Si quis
in

„ in ea re peccaverit, nihil ea die alimen-
„ percipiat, nisi panem, & aquam. IX.
„ Superiores omnes etiam Generales, vel
„ qui reditus, aut præstationes particula-
„ res ratione officiorum habent, eorum
„ accepta, & expensa, in libro distincto
„ fideliter, & diligenter adnotari curent;
„ neq; in alios usus, quam ratione Officij
„ sui necessarios, quidquam expendant.
„ Cum vero contigerit ipsos in aliquo
„ conventu commorari, eam pecuniæ
„ quantitatem in commune conferant ex
„ qua sibi, & ijs qui cum ipsis erunt, vi-
„ ctus ad præscriptum Regulæ & Consti-
„ tutionum suppeditetur. X Nullus ex
„ Superioribus locorum administrationem
„ Bonorum, aut aliarum rerum, dispensa-
„ tionemq; pecuniarum, & redituum sui
„ Conventus, per seipsum habere, sive e-
„ xercere possit; sed universum id onus
„ tribus Fratribus ejusdem Conventus à
„ Generali ita demandetur, ut unus re-
„ rum, & Bonorum, redituumq; colligen-
„ dorum, ac exigendorum curam habeat;

„ alter tanquam depositarius pecunias, ac „ cætera ab illo collecta, exactè & fideliter asservet; aliùs de pecuniis, & rebus „ à Depositario acceptis Priori & Fra„ tribus, ac Conventui universo, de neces„ sarijs, mandante tamen ipso Priore, non „ secundum proprium affectum, sed juxta „ caritatis Regulam, veluti bonus dispen„ sator, provideat, officiorum, hujusmodi „ confusione penitus interdicta. XI. Cæ„ terum hi tres tam impensi, quam acce„ pti, singulis mensibus Superiori locali, „ adhibitis etiam duobus, vel tribus Fra„ tribus ejusdem Conventus, probatiori„ bus, rerumq; usu peritis, rationem red„ dant. Deinde ipsemet rursus præsenti„ bus Priore, & peritis prædictis, Gene„ rali cum advenerit. Deniq; ipse Gene„ ralis in quolibet proximo Capitulo Ge„ nerali, saltem coram tribus judicibus ab „ ipso Capitulo ad hoc Constitutis, illo„ rum omnium, universamq; suæ admini„ strationis tam publicæ, quam privatæ, „ rationem reddere teneatur: cujus etiam

exem-

„ exemplum Authenticum ex actis Capi-
„ tuli describâtur, ad hoc ut ad omne
„ mandatum nostrum, vel Sedis Aposto-
„ licæ transmitti possit. XII. Jn uno quoq;
„ Conventu, Fratrum is tantùm deinceps
„ constituatur, & in posterum retineatur
„ numerus, qui vel ex reditibus illius pro-
„ prijs, vel ex communibus consvetis, vel
„ etiam singulorum eleemosynis, aliisq;
„ quibuscunq; obventionibus in commu-
„ ne, ut præfertur, conferendis commodè
„ possit sustentari. Reditus verò, & supra-
„ dicta omnia in communi loco, ac tuto
„ diligenter asserventur. XIII Superiori-
„ bus autem, *ne Concilij Trid. aut hæc no-*
„ *stra declarare, interpretari, aut relaxare*
„ *ullo modo possint, omninò interdicimus, &*
„ *prohibemus, decernentes irritum &c.* Si quis
„ autem contra præsumpserit attentare, is
„ eo ipso omni gradu, Officioq; privatus,
„ & ad ea perpetuo inhabilis existat.

IV. Urbanus VIII. Confirmavit præfatam Clementis VIII. Constitutionem, ut habetur in Bullario Romano, *Tom.*

4 *Pag.* 63. & Paulus V. Gregorius XV. Alexander VII. & Jnnocentius X. Confirmarunt Clementis, & Urbani Constitutiones: Jstorum Pontificum testimonia prætereo ne sim longus.

V. Tandem Jnnocentius XII. & Trid: Decreta, & Antecessorum Pontificum Constitutiones confirmavit, atq; adversus falsa, & erronea commenta roboravit, ac omnemq; tergiversandi & cavillandi radicem averroneavit. Decreta hæc habentur in Bullario ejusdem Pontificis *Pag.* 267. & seqq. Jnitium Decretorum hoc est. *Sanctissimus &c. Ut regularis disciplina ad Religiosorum salutem, & totius Christiani populi ædificationem utilitatemq; sarta tecta custodiatur, ac vigeat, ac sicubi collapsa est, adjuvante Domino, reparetur; constituit, & declaravit, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benignè concessurum; dummodo tamen, quæ pro regulari vita rectè instituenda, tam à Sacrosancta* SINODO TRID: *quam à prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus, præcipuè verò*

fel:

fel: record: CLEMENTE VIII. *in Decretis Generalibus pro Regularium reformatione, necnon* INNOCENTIO X. *&* ALEXANDRO VII. *pro Novitiorum receptione, & Professorum educatione, salubriter constituta sunt: quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas sua, eaq; quatenus opus sit* CONFIRMAT, *& renovat, (salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum Statutis, seu aliis ordinationibus, ab Apostolica sede in* FORMA SPECIFICA, *post eadem decreta forsitan approbatis, aut editis) exactè, & inviolate serventur.*

VI. Omissa fuerat in disciplina Apostolicomonastica illa periocha (*salvis tamen in hac parte &c*) Utpote non necessaria, tum quod non exactam communitatem spectat, tum quod de approbatione *in forma specifica* sermo est, qua approbatione compertum est, nullas Regularium Constitutiones peculium permittentes post Clementem VIII. fuisse confirmatas. Hoc jamjam clarius patebit. Quæ sequuntur igitur causam dirimunt.

VII. Quocirca Sacra Congregatio ab eodem Sanctissimo Domino nostro, super disciplina regulari specialiter deputata --- de mandato Sanctitatis suæ præsentis Decreti tenore denunciat omnium & singulorum ordinum Regularium Superioribus, tam generalibus, quam Provincialibus, quocunq; nomine nuncupentur, cæterisq; ad quos spectat, ut in una quaq; Provincia, per Italiam & Insulas adjacentes, quam primum deputent, aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibiq; authoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulæ, & Constitutionum cujusq; Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipuè verò EXACTE VITÆ COMMUNIS. Postquam verò Regularem observantiam, & signanter quoad EXACTAM VITAM COMMUNEM CUM AFFECTU stabilitam fuisse, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quam præpositi, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium, JUREJURANDO FIRMATO TESTIMONIO --- eidem Sacræ Congregationi suffi-

sufficienter constiterit, tunc Sanctitas sua anterdictam licentiam, quam hactenus distulit, Novitios ibidem recipiendi benigne concedet. - - - -

Porro: ne Regularis disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte constituitur, simul ex altera destruatur; Sacra Congregatio, Sanctitate sua similiter approbante, statuit, atq; decrevit, nulla imposterum Monasteria; Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui, debere, nisi sub EXPRESSA OBLIGATIONE EXACTÆ VITÆ COMMUNIS ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuò, & inviolatè servandæ, ac præterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi præter alia ad id requisita, priùs legitimè constiterit, adesse annuos reditus, vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in EXACTA VITA COMMUNI commodè valeant sustentari.

VIII. Perpendat nunc, quæ sequuntur

tur, qui contra me scribens ait *cute, & de industria* præteriisse supra indicatam periocham: *Salvis tamen* &c. perpendat, inquam, quæ sequuntur in Decreto Innocentiano.

IX. *Non obstantibus circa præmissa* OMNIA *&* SINGULA *Constitutionibus, & Ordinationibus, Apostolicis necnon quorumcunque Ordinum* STATUTIS, *consvetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Ad extremum eadem Sacra Congregatio regulares omnes, cujuscumque Ordinis & instituti sint, SANCTITATIS *suæ verbis seriò admonet, & in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicut filios obedientiæ decet, ad Regulæ quam amplexi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant, decretisque Apostolicis pro* ÆTERNA *illorum* SALUTE *editis, sincerè, fideliterque pareant. Nec ab eorum obedientia inanibus interpretationibus, & fallaciis aut* RELAXIONUM PRÆTEXTIBUS, AD EXCUSANDAS EXCUSATIONES IN PECATIS *adduci se sinant.*

nant. Sed Professionis suæ memores qua se totos DEI manciparunt, obsequio, suscepta Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed divinæ caritatis dulcedine aspersum abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur.

X. Tandem ne prætextu silentij, & tolerantiæ Sedis Apostolicæ quipiam honestare contrariam corruptelam posset, sequens edidit idem summus Pontifex Jnnocentius XII. decretum insertum citato Bullario *pag.* 309. cujus initium est *Debitum pastoralis Officij*, in quo hæc inter alia habentur.

XI *Sicut non sine gravi animi nostri molestia, accepimus, tametsi decretorum hujusmodi observantia in plerisq; Religiosorum virorum Monasterijs, seu conventibus, prosperè ac feliciter introducta fuerit, atq; ex inde inibi uberior in dies electi Sanctorum operum frumenti messis benedicente Domino exurgat; non eosdem tamen alibi cæleste idem semen, afferat fructus, neq; enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro DEI su-*

per *seminare Zizania, quæ Patrisfamilias sementem suffocant: hinc est quod nos prophetici illius moniti memores:* Clama, nè cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: *ut constans enixaq; voluntas nostra inceptum opus hujusmodi peculiari studio, summaq; animi contentione, prosequendi magis ac magis innotescat, omnisq;* TRANSGRESSORIBUS VANO, FALSOQUE SILENTIJ NOSTRI PRÆTEXTU, *sese excusandi occasio penitus præcidatur, motu proprio prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum super disciplina regulari, tenore præsentium perpetuo approbamus, &c. - - - ipsius autem Congregationis à nobis sic confirmatæ facultates istæ esse debeant, - - - designandi, ac deputandi pro Novitiatibus, & Professuris Conventus, Monasteria, Collegia, ac domus &c. - - - - Decreta tum fel record:* CLEMENTIS *Papæ VIII. Prædecessoris Nostri super Reformatione Regularium - - - -* EXACTÆ VITÆ COMMUNIS, *observantiam promovendi, atq; ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcunq; Conventuum, Monasterio-*

rum

rum, Collegiorum, & domorum hujusmodi fundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet in posterum Religiosorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem VITÆ COMMUNIS juxta ultimum dictorum Decretorum præscriptum perpetuo & exacte servari valeat &c.

Non obstantibus &c: quorumvis Ordinum Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisq; quibusvis etiam juramento firmatis, CONFIRMATIONEQUE APOSTOLICA, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consvetudinibus, privilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis ejusdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, illorumq; Superioribus, & personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumq; verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam, derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, ac aliis Decretis in genere, vel in specie, vel aliis quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis &c.

XII.

XII. Tandem Jnnocentius XII. Congregationem peculiarem instituit quæ juramentum exactæ communitatis servandæ præstandum à Regularibus recipiat, antequam facultatem impertiat admittendi ad Religionem. Opere pretium existimo subjicere istius formam juramenti. Est autem tenoris sequentis:

Exemplar formularij quod iurant Regulares servandæ exactæ communitatis.

Nos infrascripti fidem facimus, & in VERBO VERITATIS *testamur, quod in hoc Conventu N. stabilita est* PERFECTA BONORUM COMMUNITAS *& omnia Bona fratrum particularium, tum quoad* OMNES PECUNIAS, *tum qnoad vestes & alia, sive sint census vitalitij, sive eleemosynæ, ex prædicationibus, sive undequaq; provenientia,* OMNIA SINT CONFUSA, *cum Bonis & reditibus Conventus, & ipsis in corporata juxta Decreta Sanctæ memoriæ* CLEMENTIS VIII. *&* JNNOCENTIJ XII.

&

& Sacræ Congregationis Disciplinæ, ita ut ex ipsis omnibus æqualiter provideatur, tam tempore sanitatis, quàm infirmitatis. Et est stabilita Vestiaria Communis, in qua repositæ sunt omnium fratrum vestes, ac omnia quæ ad communem usum sunt: ex qua Vestiaria omnibus æqualiter providetur juxta uniuscujusq; fratris indigentiam. In hoc etiam Conventu ultra Bonorum supradictorum perfectam communitatem, viget Regularis observantia secundum rigorem Constitutionum nostrarum Et Novitij in hoc Conventu Religiosè enutriuntur, & educantur in omnibus exercitijs ad statum Religionibus nostræ spectantibus, & tam de die, quàm de nocte probantur. Quare humiliter supplicant infrascripti, cum JURAMENTO, *omnia supradicta affirmantes, Sacræ Congregationi Disciplinæ regularis, pro licentia recipiendi juvenes ad habitum. Actum die &c. &c. &c.*

XIII. Hoc est juramentum quod Sacræ Congregationi super Disciplina Regulari exhibent Regularium Superiores quoto biennio, aut triennio, ut facultatem re-

recipiendi Juvenes ad habitum Religionis ab eadem Sacra Congregatione obtineant. Hypothesim formemus, in qua Romana Sedes possit, & velit præcipere vitam communem, omni privato peculio vacuam. Jn hac hypothesi possetne clarioribus verbis, luculentioribns, & urgentioribus clausulis uti præ jis, quas adhibuit in rescriptis decretis? Quo ergo se recipient oppositum opinantes? Jnvenire ne possunt ipsi aut expressiones luculentiores, aut formulas efficaciores, præcipiendi aut exactæ communitatis observantiam? Negabunt ne Romanæ Ecclesiæ potestatem præcipiendi perfectam rerum communitatem? Nulla hic ad effugium rima patet.

CAPUT V.

Communitate sublata, nec votum obedientiæ, nec Regularis disciplinæ observantia consistere diu valent.

1. VIolatio paupertatis: est scopulus ad quem facillimè impingunt viri claustra-

strales. Hinc tam antiquæ, quàm posteriores Religiones passæ sunt plus & minus relaxationem. Nihilominus Sacrorum Ordinum Institutores non modo hanc paupertatem exacta vita communi circumscriptam non mitigarunt, sed fortioribus præsidijs munierunt. Ordines Mendicantes videntes collapsam disciplinam monasticam ob redundantes divitias, rejecerunt divitias, & reditus etiam in communi possidendos, & mendicato vivere statuerunt. His successere Clerici Regulares, qui collapsam Mendicantium disciplinam spectantes, ne huic vicissitudini obnoxij & ipsi essent, paupertatem adeò severam præscripsere, ut alij nec pro Missarum celebratione oblationes recipere, alij nec petere eleemosynas statuerint. Cur hoc? Paupertatis Consilium liberum est. Divitias possidere nihil absolutè mali præfert. Sacrorum Ordinum Patriarchæ tot sæculorum experimento didicere istius vitæ communis observantiam difficillimam esse, & facillimè à voventibus violari. Jllo-

rum

rum caritatis erat, hanc temperare paupertatem, peculia, & census vitalitios permittere, ut hac via occasiones peccandi à subditis suis removerent. Quando enim lex de re libera & innoxia, difficilè à subditis servatur, sapientis legislatoris est, aut eamdem tollere, aut eam temperare, & communi usui accommodare.

II. Contra, Omnes ad unum Pátriarchæ non modo paupertatis legem non relaxarunt, sed severius eam roborarunt, & novis præsidijs munierunt. Cur nemo SS. Patriarcharum peculia, & reditus privatis Religiosis concesserunt? Cur illa severissimè prohibuere omnes nullo excepto? opponant mihi vel unum Patriarcham qui peculia, & reditus privatos concesserit; & fasces illis submittere, atq; victoriam canere volo.

III. Quid ergo causa est, cur omnes Sancti Patriarchæ huc conspirarunt, ut unanimi consensu, hoc paupertatis votum restringerent, arctarent, atq; omni excogitabili modo firmarent? Quia sublata

com-

communis vitæ paupertate, concidat exactæ obedientiæ votum, & diſciplinæ regularis obſervantia neceſſe eſt. Siquidem Profeſſio vitæ Regularis ad paupertatem quod attinet, contractus mutuus eſt, ut indicavi, vi cujus ſubditi omnia bona & præſentia, & futura, ſolenni ritu Religioni cedunt; Religio viciſſim eodem Sacro vinculo ſe aſtringit alendi, veſtiendiq; ſubditos tum ſanos, tum infirmos. Si Religionum Prælati oppignoratam fidem non ſolvunt, ſubditis omnia neceſſaria miniſtrantes, neceſſario conſequitur, ſubditos obedientiæ vinculo ſolutos eſſe, quantum ad comparanda ea quæ pro victu & veſtitu neceſſaria ſunt. Ergo ſublata communitate, obedientiæ votum, atq; adeo ipſa diſciplina Regularis corruit.

IV. Induſtriæ, labores, media quæ ſubditi adhibent ut peculium acquirant, ſæpiſſimè Religioni non congruunt. Si Prælati impedire ea pertentant, ſubditi jus naturæ opponunt ſibi proſpiciendi in victu & veſtitu à Prælatis non collato.

Quandoquidem in claustris, à quibus exulat perfecta communitas, pro vestibus aliqua summa traditur, alibi major, alibi minor, quæ pro integro non sufficit. Cellarum supellex integra saltem non datur; Pro itineribus, pro epistolis aut parum, aut nihil. Pro infirmitate curanda quædam, ut in hospitali, porriguntur; & qui non habent unde sibi subveniant, miserrimè langvent. Qui verò abundant, absit infirmis fratribus quidquam tribuant. Hinc alij in penuria summa decedunt, alij morientes plurimam pecuniam relinquunt; Quibus auxilijs compararunt ingentia pecuha?

V. Fac Prælatos prohibere subolit ineptis ne conciones habeant, quia ea morum probitate non sunt præcliti, quæ requiritur ut extra claustra Christianis exemplo sint, ne Monialium Confessione audiant, ne se negotijs terrenis immisceant, ne patrocinia ambiant, ne vagentu per Civitates; continuo in clamant subditi; si hæc lucra amittimus, quis nobis ve

stes

ſtes, quis epiſtolarum, itinerum, infirmitatum, expenſas ſolvet? Quis *chocolate*, quis *tabaccum*, quis tot alia aut neceſſaria, aut congrua porriget? Cenſus vitalitij aut exigui, aut nulli ſunt &c: communi patrimonio nobis non providetur: ergo naturæ jure, quod omne votum antecedit, hæc nobis comparare juſtè poſſumus. Quid hinc? Literarum rudes, morum integritate, vel prudentia deſtituti è clauſtris exeunt, concionantur imperiti, Confeſſiones audiunt indocti, negotia tractant inepti. Jlli favores & patrocinia aucupantur; iſti præfecturas & officia ambiunt. Si Prælati intercidere velint, ſubditi opponunt, ut dixi, jus naturæ.

VI Mala, ſcandala, diſciplinæ relaxatio, & alia abſurda, quæ hinc proficiſcuntur, nolo meis verbis exprimere. Dionyſius Carthuſius de *Refor: Clauſtr:* C. 16. hæc ſcribit. *Ex peculio tanquam ex venenoſa radice multa peccata proveniunt, utputa contumacia, ſuperbia, contentio, partialitas, avaritia, vanagloria, invidia, mendacium*

luxuria. Quoniam abundantes in peculio ad resistendum suis Superioribus fiunt audaces, nec disciplinam, & correptionem patienter suscipiunt, partialitates efficiunt, & interdum commessationibus, & ebrietatibus vacant, ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum suum de Castitate servanda sceleratissimè frangunt. Quid si nos hac scribendi libertate uteremur? Similia, & graviora absurda ex peculio manantia describunt Trithemius, Nyder, S. Antonius, Cajetanus, & communiter Theologi. En rationum momenta cur SS. Patriarchæ etiam ultimæ ætatis peculio bellum indixere. Alias austeritates, ut jejunia, vestitum asperum, & plura alia pænitentiæ exercitia aut linierunt, aut sustulerunt. Communitatem verò bonorum, licet agnovissent fuisse lapidem offensionis ad quem plures impegerunt, non modo non liniere sed, ut dixi, severius illam præceperunt: quia hac exacta bonorum communitate sublata, corrueat universa disciplina monastica oportet.

CA-

CAPUT VI.

Quam hostiliter pugnent cum voto paupertatis monasticæ census vitalitÿ. Excusationes & sophysmata quibus incrustari peculiorum corruptela solet.

I. DIvitiæ & paupertas evangelica non minus opponuntur quam castitas, & luxuria. Quare Christus dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus.* Vendere, & retinere non ne invicem hostiliter pugnant? nonne hæc duo: vendere omnia, ut omnes Patres interpretantur, & ipsum Evangelium clarè & perspicuè edisserit: & retinere aliqua, Chymæram monstrosam constituunt? & tamen Chymæra hæc familiaris est. Antequam professionem juvenes edant, census vitalitios sibi reservant ditiores, aut minores, prout domesticum patrimonium permittit.

II. Reponunt: se reservare hos reditus non sibi, sed Religioni. Religio enim absolutum dominium horum edituum

habet; Religiosi verò purum merumq; usum facti ex licentia, & facultate Superiorum. Dominium autem, non merus usus facti cum paupertatis, voto pugnat. Rectè & venustè. Quid appetitiones nostras explet, & saturat, dominium, an usus? Dominium absolutè sterile est, & unicè appetitur propter usum. Si separes ab usu dominium, hoc futile, & vanum evadit. Ego facillime tibi perfectissimum dominium concederem, dummodo usum pecuniarum semper Religio haberet? Quid tibi dominium hoc in casu prodesset? si maritus dominium, alter usum haberet uxoris, isne castitatem servaret? Maritus cum suo dominio continens esset & castus, alter cum suo solo usu facti venerem expleret.

III. Insistunt: Superior ad nutum revocare hunc usum valet. Peregregie. At nunquam revocat, ut experientia constat. Si revocare ad nutum Superiores peculij privati usum valent, cur reipsa non revocant? Cur communitatem exactam non invehunt? Cur Regulis, & tot Concilio-

rum

rum, & Summorum Pontificum decretis non parent? Responsum pressum & perspicuum exhibito.

CAPUT VII.

De ludis Regularium, & alijs quæ cum voto paupertatis pugnant.

I. QUÆSITUM 1. *Licitò ne sunt Regularibus ludi alearum & sortis?* RESP: Ludis, qui in jocoso sermone, factisq; ludricis sistunt, ut qui corpus exercent, quiq; ad spiritum exhilarandum, viresq; instaurandas directi sunt, indulgere Religiosos posse, omnes cum S. Thoma 2. 2. *q.* 168. *a.* 2. Concedunt.

II. Contra Theologi, & Regulæ omnes à Sede Apostolica approbatæ ludos alearum severissimè Religiosis voto paupertatis devinctis prohibent. Nomine *aleæ* omnes ludi fortuiti intelliguntur. Quid quod ludi isti ipsis Christianis omnibus vetiti sunt; imò omnes ethnici Philosophi ludos ejusmodi execrati sunt ut *Tom.* 7. Theologiæ Christianæ palam feci.

Constitutiones O. P. ad carceris pœnam damnant Fratres, *qui inventi fuerint ad taxillos lusisse*, non secus ac reos carnis, furtiq;. Ludus fortuitus solius avaritiæ, & desiderij ditescendi fructus est. Quid magis evangelicæ paupertati adversum, quam desiderium hoc divitias augendi.

III. *QUÆSITUM II. An paupertatis voto repugnet, quod Regulares habeant instrumenta argentea, ut cochlearia, cultrum, furniculam, arculam pro tabacco, horologia, idq; genus similia?* RESP: Hæc omnia Solenni paupertatis voto opponuntur, statumq; disciplinæ monasticæ evertunt. Paupertas enim & auri, argentiq; pretiositas directè pugnant. Comperta hæc sunt natura sua. Omnes Regulæ monasticæ usum auri argentiq; in ejusmodi instrumentis prohibent. Constit: O. P. *dist*: 1. C. 10. hæc præscribunt. *Nullus Frater aut Soror Ordinis Nostri, cujuscunq; gradus* (NB.) *aut conditionis, existat, uti debet cochlearibus, & instrumentis aureis vel argenteis, aut etiam ex lapidibus prætiosis, sive in mensa, sive in cin-*

singulis, sive in cappis, cultris, vel eorum vagines, sive in quocumq; alio genere rerum utensilium. Qui autem transgressores reperti fuerint, iisdem instrumentis omninò priventur; & illa communitati applicentur, & GRAVITER præterea transgressores puniantur. Gravis punitio gravem culpam supponit. Nec opponas, Constitutiones illas ad culpam non obligare. Utiq; ad culpam non obligant quæ extra vota sunt. At rescripta Constitutio votum paupertatis exponit. Votum autem illud ad culpam, & quidem gravem astringit. Usum ergo adeò communem damnare audes? Non ego, sed disciplina Regularis, sed vota, quæ distinxerunt labia tua DEO, præfata omnia detestantur. At Religiosi docti, & probi, his utuntur instrumentis? Quid inde? isti gravius peccant, quia sua doctrina & probitate gravius scandalum Cæteris pusillis ingerunt.

CAPUT VIII.

Quàm gravis sit Prælatorum obligatio invehendæ communitatis. Quid agere debeant Regulares degentes in Claustris, ubi pulsa vita communi peculia serpunt. Et an iuvenes suscipere habitum Religiosum in his locis licitè queant?

1. QUÆSITUM I. *Sunt ne in continuo statu peccati mortalis Superiores Regularium, qui sincero animo, & totis viribus non conantur instaurare vitam communem, ubi collapsa est?* RESP. Affirmant omnes Patres, omnes Regulæ Monachales, Concilia omnia, & tandem ex adductis Constitutionibus pontificiis id luculentissimum est. Si ratiociniis meis, quantumvis validissimis id confirmarem, rigorismi, & infamatoris censuram non declinarem. Quare in medium adducam quæ non modo viri Sancti, sed alij non tantæ existimationis Theologi docent.

II.

II. Divus Antoninus (3. *p. tit* 16. Cap. 1.) *Satis credo quod qui se reperiunt in Monasteriis, ubi non vivitur in communi, si Prælati sunt, & non faciunt quantum est eis possibile sine notabili scandalo ut vivatur in communi, eos non esse in statu tuto.*

III. Joannes Excuria (in trac: de refor: *p.* 3. *a.* 2.) *omnes Prælati tam majores, quàm minores, singuli videlicet respectivè pro sui dignitate, officio, commissione, aut facultate, de debito justitiæ tenentur subditos suos Religiosos deformatè viventes, ad vitæ Regularis observantiam reformare. De ipsorum enim manibus sangvis subditorum requiritur.*

IV. Sylvester (verb. Relig. 6. § 7.) *Si Prælatus non facit quantum potest sine magno scandalo, ut vivatur in communi, non est in tuto statu arg. dist.* 83.)

V. Ludovicus Lopez de Texeda (*lib.* 2. *trat.* 2. *Cont.* 7. *dub.* 2. *n.* 24.) *addo, Religionum Prælatos ex meritis Officii teneri debitam adhibere diligentiam ut Religiosi subditi vitam transigant in communi, & i-*

deo tenentur valde esse solliciti de necessarijs illis conferendis, pro victu, & vestitu. Quare si illa non tribuant, cum commodè possint, peccant mortaliter, & sunt indigni Prælatorum officio, & debent deponi: quia tribuunt ansam Religiosis ut peculia quærant, & votum laudabile paupertatis infringant.

VI. Thomas Sanchez (in Dec. lib. 7. C. 19. n. 27.) *Tertio deducitur, non esse in bono statu Prælatum, qui inquantum potest absq; gravi scandalo, non nititur Religiosos vivere in communi, ac superfluos usus vitare.*

VII. Valentia (2. 2. disp. 2. q. 4. a. 4.) *Quarto sequitur esse in malo statu, tam Prælatos, quàm subditos, qui non agunt vitam communem, quando ex reditibus communibus possunt sufficienter vivere.*

VIII. Franciscus Pellizarius (trac. de Monial. c. 4. Sect. q. 4.) *Colligitur ex Sanchez asserente cum S. Antonino & Sylvestro, quod sicut Prælatus Regularium non est in bono statu, si quantum potest absq; gravi scandalo, non nititur, in communi Religiosos vivere; ac super fluos usus vitare; sic nec sunt*

in

in bono statu subditi resistentes, non quod nequeant sufficienter vivere, sed quod velint abundare, & liberius disponere. Hoc enim adversatur voto Paupertatis.

IX. Joannes Baptista Lezana (quæst: Reg. Cap. 18. n. 14.) *Prælati qui inquantum possunt, non curant suos subditos vivere vita communi absq; peculio, aut proprio, & superfluos usus vitare, non sunt in bono statu conscientiæ. Ratio est: quia votum paupertatis id requirit, summiq; Pontifices, & Concilia id præcipiunt.*

X. Gabriel à S. Vincentio (de Just: & Jur. disp. 3. q. 10 n. 132.) *Superior peccat graviter non providendo subditis de necessariis, tum quia præbet occasionem relaxationis Religionis dando occasionem introducendi peculium, tum quia privat subditos jure quod habet ad bona Monasterij.*

XI. Thomas à IESU (specul. Relig. par. 4. Cap. 2.) *Concludo Prælatum mortaliter peccare, qui non curat, ut communis vitæ ratio in monasteriis servetur. Idem esto judicium de eo, qui communem vitam jam la-*

xatam, quantum in se est, ad pristinam observantiam non conatur reducere, quin etiam ipsi subditi, qui Prælatis vitam communem restaurare volentibus contradicunt, eadem culpa mulctentur. Primò: contrariantur ipsô factô Decretis Conciliorum, & Pontificum, à quibus bujus vitæ observantia districtè præcipitur. Secundo: quia ubi vita communis non observatur; Monachi variis animæ periculis circa transgressionem voti paupertatis exponuntur. Tertio: quia communis vitæ observantiam Prælati reformare negligentes contraveniunt justitiæ legali, quia ex officio tenentur bono communi consulere. Insuper dispensatione sibi commissa abutuntur, & peccant contra fidelitatem, & sæpe contra justitiam distributivam.

XII. Servatius Lainvelz gravissimus unaq; piissimus auctor in sua optica Regular: (spec. 12.) *Certum mihi est, esse in continuo peccato mortali eos Prælatos, qui quantum possunt, sua Monasteria non reformant, quiq; ad vitam communem Religiosos suos, quantum possunt, non reducunt.*

XIII. QUÆST. II. *An subditi Regu-*

la-

lares resistentes introductioni vitæ communis, pulsis peculiis, sint in statu peccati mortalis? RESP: Ex ijs quæ dicta sunt, patet evidenter resolutio, propositæ quæstionis. Nihilominus in majorem confirmationem, quæ docent & citati, & alij auctores, subijciam.

XIV. D. Antoninus (3. p. tit. 16. c. 1.) *si subditi sunt, & resistunt huic bono dum attentatur, non quia non possunt vivere sufficienter, sed quia volunt abundare, & de suis suo modo facere, videntur esse in malo statu, cùm seculariter vivant, & velint in malo statu perseverare.*

XV. Cardinalis de Turre Cremata in Regulam D. Benedicti (Tract. 94.) *Gravissimè peccant, qui reformationi hujusmodi abusuum temerè resistunt in Monasterijs, & se, & alios defendunt, ne ab hujusmodi labe purgentur.*

XVI. Sylvester (v. Rel. 6. §. 7.) *subditi verò dictæ communitati resistentes, non quia non possunt sufficienter vivere, sed quia volunt abundare, videntur esse in malo statu.*

XVII.

XVII. Thomas Sanchez (lib. 7. Cap. 22 n. 27.) *Similiter peccant mortaliter subditi dantes peculij causam, resistendo vitæ communi, cum illis necessaria ministrentur, & similiter graviter murmurando, & magis querelas fundendo.*

XVIII. Lezana (quæst. regul. Cap. 6. n. 60.) *Addendum tamen est, & valde notandum, Religiosos paratos esse debere ad recipiendam reformationem, & introductionem vitæ communis, si à Prælatis denovo instituaretur, seu restauretur, nec posse ulló modó resistere sub gravissimo peccato mortali. Ratio est: quia cum vita communis obliget sub peccato mortali omnes. Religiosos, ab illa excusari non possunt, nisi quia Prælati Monasteriorum non provident illis de necessarijs ad victum unde constando prædictis necessitatibus, sufficienter providendum fore, nulla remanebit ratio excusationis. Et hæc est communis ratio Theologo*?

XIX. Thomas à IESU (Specul. Relig. p. 4. C. 2.) *Graviter peccare dixi, quia nolunt reformationi vitæ communis acquiesce-*

re,

re, nempe propter grave damnum emergens ex eorum contradictione.

XX. Franciscus Lopez (lib. 2. tract. 2. controv. 7. dub. 7. n 24.) *Religiosi autem tenentur ex merito suæ Professionis & status de communi vive e, & contenti esse his, quæ à communi ministrantur.*

XXI. Angelus Pittachius Castelli (tr. 4. de voto pauper C 4. n. 5) *Subditi resistentes vitæ communi, peccant mortaliter.*

XXII. Alieferra (Orig: Monast: lib. 1. C. 15.) *Monachi compelli possunt ad reformationem juxta præscriptum Regulæ quem professi sunt. Nec tueri se possunt in observantia longi temporis, quia contra ea quæ sunt de substantia vitæ regularis, nulla est præscriptio temporis, neq; dispensatio.*

XXIII. Emanuel Rodericus (Tom. 2. q. 53. art. 3.) ubi relato Tridentini decreto) §. 25. Cap. 2. (hæc infert. *Ex qua decretali colliges, quod Religiosi debent, & tenentur reformare seipsos ad præscriptum Regulæ quam professi sunt.* & art. 4. *Peccant*

Su-

Superiores negligentes instruere, seu reformare, & magis contravenientes reformare volentibus, & etiam singulares impedientes ea, quæ contraveniunt menti, & verbis Conciliȷ, quod est peccatum.

XXIV. Caramuel in Reg. D. Benedicti n. 630. *Qui vota emisit in Monasterio irregulari, hoc est, ubi contra Regulam abusus irrepserunt, tenetur reformationi subjacere, & obedire Antistiti abusus illegitimos eliminanti.* Sic loquitur Caramael, & in hac controversia adeò sibi constat, ut in Theolog. Regul. n. 631. hæc scribat. *Quam periculosè se fallant, qui existimant ex vi voti non teneri ad vitam communem, eò quòd tempore suæ Professionis non servabatur in Monasterio.*

XXV. Ultimi loco adduco Capitulum Ordinis Præmonstratensis, sub doctissimo Joanne de Paigè celebratum, quodve insertum habetur in Bibliotheca Præmonstratensi (lib. 5. pag. 1019.) *Reverendus Dominus Abbas Religiosos suos ad vitam communemreducat, revocetq; - - - &*

ne

ne quis sibi in hoc blandiatur, & Superiorum obtrudat licentiam, audiat Innoc. III. in Cap. cum ad Monasterium: Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare - - - & Concilium Trid: Sess: 25. in Decreto de Regularibus &c. Quo fit ut sint in malo statu, labanturq; turpiter tam Prælati, quàm subditi Religiosi, per quos stat, quo minus omnes in Monasterio vitam communem ducant. Quid plura? Vix vel unicum alicujus nominis Theologum reperire licet, qui oppositum doceret.

XXVI. Ex his omnibus hoc pacto concludo. Juxta commune Theologorum placitum; Prælati Regularium sub gravissimo peccato mortali tenentur pro viribus vitam communem peculio vacuam invehere. Hæc *prima* propositio certissima est. *Secunda.* Omnes subditi ex lege ad peccatum mortale obligante tenentur animo parati esse ad vitam communem peculij expertem suscipiendam, ut communiter omnes vel benigniores docent. Ergo alterutrum necessario consequitur. Aut

Præ-

Prælati in extremo damnationis periculo versantur, propter ea, quòd præceptum gravissimum introducendæ vitæ communis pro viribus implere non conantur; aut subditi sunt veri proprietarij, quòd Prælatis suis invehere bonorum communitatem satagentibus resistunt, vel contumacem obsistendi voluntatem produnt, ob cujus repugnantiæ scandalum vitandum, Prælati ab implendo officio suo desistunt. Nullus hic tergiversandi locus superest, *Si plura cupis* lege *Discipl. Apost. Monast. Diss.* 3. *c.* 4.

XXVII. QUÆSTIO III. *Quomodo se gerere debeant Regulares, qui in ijs Conventibus commorantur, ubi sublata vita communi, peculiorum pestis serpit, ut propriæ consulant saluti?* RESP. Rationem propriæ conscientiæ dirigendæ & peculij habendi vix ego designare valeo. Rescribam quæ celeberrimus Joannes de Turra Cremata Card. in commentarijs in Reg. S. Bened. *Cap.* 94. docet his verbis.

XXVIII. *Gravissimè peccant, qui re-*

for-

formationi hujusmodi abusuum temere resistunt, & se, & alios defendunt, ne à tali labe purgentur. *Ratio est: Quia isti sunt formaliter contemnentes remedia suæ salutis, & tale peccatum est in Spiritum Sanctum. Unde illi qui vivunt in Monasteriis deformatis, quintuplicis sunt generis. Quidam enim dolenti & amaro sunt animo, quod non vivunt in observantia, ex animo tamen aspirant ad reformationem. Alii sunt, qui nolunt aliter vivere, & sic ut sunt malunt manere, nollent tamen Superioribus resistere, si vellent reformare. Tertii sunt, qui positive sic vivere sub deformatione volunt, ut omni reformationi pertinaciter resistant. Quarti inveniuntur neutrales, in omnem partem incurii de modo vel sic, vel aliter vivendi. Quinti sunt, qui apparent bonæ voluntatis, & se reformare intendunt; sed aut quadam animi fragilitate, aut quia nullum modum consentaneum reformationis sibi intendunt, diferunt, & semper inducias captant.*

Inter hos omnes Religiosos secundi & tertii generis, qui deliberate reformari nolunt,

si-

sive resistant, sive non, si sic usq; ad finem persistant, in statu sunt damnationis. De quarti generis Religiosis dicitur, quòd sunt sub periculo salutis, eò quòd in Schola Religionis, non proficiunt, nec ad perfectionem tendunt pro sui status exigentia, & incurij sunt suæ salutis. De quinti generis Religiosis, apparet periculum suæ salutis, propter tepiditatem affectus, & quia discrimini se exponunt, & pusillos scandalizant.

Religiosi primi generis, qui vivunt in locis deformatis, ubi Regula non servatur, cum proposito se reformandi, si valerent, ut securius vivant, & tutius saluti suæ consulant, hæc omnia facere tenentur.

1. Laborare pro alio Conventu, ubi regulariter vivere possint, & illuc se transferre, nisi forsan spem haberent. Satis certam proprij loci reformandi ex eorum præsentia.

2. Si locum reformatum habere non poterunt ut aliqua digna causa eum omiserint super hoc doleant, & pro reformatione inducenda, semper quod in se est, faciant.

3. Non sæculariter vivant; Bona conces-

cessa nonnisi cum licentia Superioris, & in usum necessarium disponant, cum proposito semper resignandi ad placitum Superioris, imò omne superfluum illi dando, aut potius ab alio rerum provisionem sine usu pecuniaris recipiendo.

XXIX. Quisq; astringitur declinare occasionem proximam violandi proprium votum; Quando autem occasio est necessaria, tunc adhibenda sunt remedia oportuna, ad evitandam legis transgressionem; Plurimis occasio habendi peculij necessaria est, cum isti removere illam nequeant. Hi ergo, ut sibi consulant, regulam propriam in victu & vestitu, abstinentiam, jejunia, & vestium asperitatem servent. Tantum peculij illis licitum est, quantum requiritur pro ijs rebus comparandis, quas Religio subministraret, si in ea exacta vigeret communitas. Quod superest, Religioni tradant cum cæteris bonis Cænobij confundendum.

XXX. QUÆSTIO IV. *Licitum ne est juvenibus suscipere habitum Religionis, & pro-*

profiteri in ÿs Claustris, ubi non servatur communitas rerum, & aliæ præcipuæ Regulæ? RESP: Negant communiter, omnes graviores Theologi, S. Antoninus 3. *p. tit.* 16. C. 2. inquit: *Et ubi quis ex ignorantia, vel errore intenderet illam* (Religionem) *ingredi, in qua non bene vivitur, crudelitas esset non reddere illum cautum, & à proposito suo revocare.* Ut istius crudelitatis crimen declinarem, monere hac de re lectores volui.

XXXI. Cardinalis Cajetanus, 22. *q.* 189 *a* 9. hæc scribit: *actus iste qui est, inducere ad vitam Conventualem, est actus ex genere suo malus, quoniam inducitur quis ad vitam reprehensibilem; Omnis autem vita reprehensibilis mala est. - - - Unde vituperabile est, non solum inducere, sed etiam ingredi; & recipere ad vitam irregularem Personas, utriusq; sexus, quamvis hoc toleret permissivè.* Verùm Ecclesia post obitum Cajetani nullum non movit lapidem, ut impediret rceptionem juvenum, ubi exacta vita communis, & observantia Regularis

non vigent, ut ex Clemente VIII. & Innocentio XII. supra vidimus. Cajetani sententiam confirmat, *in 2. p. lib. 3 de Reg. can. Cum virum num.* 48. Prosper Fagnanus. Martinus Navarrus. *p.* 2. *Decret. C.* 12. *n.* 45. citata Cajetani doctrina, concludit. *Qui alteri svadet ingredi Religionem adeò laxatam, qualem modo dicemus, & ubi Regula perperam observatur, peccat.* Graviora docent Nazarius, Nyder, & cæteri communiter.

XXXII. Ludovicus Lopez in suo *Instr: Conf: C.* 43. docet: *Inducere ad Religionem, vel ingredi ad eam, ubi male ob disciplinam Regularem vivitur, peccatum esse.*

XXXIII. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. Cap.* 16. *n.* 14. inquit. *Illicitum est Monasterium illud ita collapsum, nec proximè reformandum ingredi quamvis ab Ecclesia toleretur.*

XXXIV. Paulus Layman *Lib.* 4. *tra.* 5. *C.* 6. *n.* 5. scribit: *Qui religionem absolute vovit, is non tenetur, imò neq; licite potest ingredi ordinem, cujus regularis disciplina collapsa est, ejusq; Professi pleriq; male*

vivunt, ut ne substantialia quidem vota observent. Ideoq; ingredienti perversionis periculum immineat, ut docent Cajetanus Major, Navarrus, Valentia, Rodriquet, Sanchez, Lessius.

XXXV. Leander hæc *trac. 1. de jur. quæst.* 14. *&* 15. docet: *An prædictus vovens, ingrediens Religionem quoad substantialia collapsam, non solum non satisfaciat voto, verum etiam mortaliter peccet? Respondeo dicendum, quòd non solùm non satisfaceret voto, sed quòd denuo peccaret mortaliter, ob perversionis periculum.*

XXXVI. Salmanticenses *trac.* 15. *cap.* 2 *pun.* 1. *n.* 1. hæc inquiunt; *Cæterum pro comperto habemus, non satisfacere* (voto ingrediendæ Religionis) *ingrediendo Religionem relaxatam, & quoad principales obligationes collapsam, nisi fortè spes subsit proximæ reformationis Quia talis Religio non meretur nomen Religionis, nec ad perfectionem conducit, sed ad perditionem; nec in eam ingrediendo pericula fugerentur, sed majora fortè amplecterentur.* Eadem docent Passerinus

nus, Martinez de Prado, Lezaxa, Cassianus à S. Elia, Rotarius, Bonacina, & communiter omnes. Consule *Disciplinam Apost. Monast. diss.* 15. *Cap.* 13. *& Defens. Decret. Concilij Trid. Diss.* 2.

XXXVII. Religio schola Evangelicæ perfectionis est, in qua facilius ad optatum bravium pervenitur. Religiosi veluti rheda, & curru ducti ambulant ad pallium assequendum. Christiani in sæculo pedites iter agunt, undiq; scopulis & laqueis circumsepti. Si currus sit optimè ordinatus bene clausus & fortis felicissimè ambulant viri Religiosi. Contra si currus sit perturbatus, læsus semifractus, tunc infeliciores sunt illi qui tali curru incedunt & in graviori periculo versantur, frangendi crura, brahia capita, quam Christiani qui pedites ambulant.

XXXVIII. QUÆST: V. *Utrum habere reditus redundantes in communi pugnet cum voto paupertatis*: RESP: S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 7. respondet. *quod habere superabundantes divitias in communi-*

muni, sive in rebus mobilibus, sive immobilibus, est impedimentum perfectionis, licet non totaliter excludat eam; habere autem de rebus exterioribus in communi sive mobilibus sive immobilibus, quantum sufficit ad simplicem victum, perfectionem Religionis non impedit, si consideretur paupertas, per comparationem ad communem finem Religionum, qui est vacare divinis obsequijs.

XXXIX. Extrema diligentia, summa cavenda in hac materia sunt. Victum & vestitum præbere Superiores, ad normam propriæ Regulæ debent: caritas in hac provisione elucere debet. Victus non debet delicatus esse, sed diligenter & oportune paratus, ut decet regularem sobrietatem. Vestitus quoq; promptè tradatur. Infirmorum cura magna habenda est. Aliud extremum divitiarum etiam in communi possidendarum vitandum est. Non ob paupertatem, sed ob divitias Religiones omnes naufragium passæ sunt. Pauperes ne IESU Christi ejusq; Discipuli & comites dicendi essent, qui superba ædi-

ædificia, ſplendida palatia, qui ingentes reditus poſſiderent? Si talia peragerent, proculdubio Religionis relaxationem, & & perverſionem inducerent. Religio enim Chriſti IESU & redundantes, divitiæ contradictoriè opponuntur.

CAPUT IX.

De voto Caſtitatis & Obedientiæ.

1. QUÆST. 1 *Quid ſit votum Caſtitatis Religioſæ?* RESP. Eſt *abſtinentia perpetua ab omni actu venereo, tam interno quam externo.* Sacerdotes peccantes contra hoc votum augent malitiam ob duplicem titulum ſeu vinculum, quo Sacerdotes obſtringuntur, caſtitati ſervandæ. Hujus voti obſervantia à modeſtia oculorum à ſolitudine, à carnis mortificatione, ab otij declinatione plurimum pendet. Quare quælibet Religio & jejunia, & victus temperantiam & alias virtutes plus & minus præſcribit in caſtitatis præſidium. Renunciant divitijs ut animum ab affectu pecuniarum immunem conſervent. Separantur

à sæculo ut ablata omni occasione facilius castitatem custodiant quam observare & ipsi Christiani in medio laqueorum mundi, & inter ipsa fæminarum præstigia, aut virginalem, aut matrimonialem astringuntur. Aspectus venereus & sola deliberata delectatio, luxuriosa æquè Christianum ac Religiosum virum in infernum detrudunt, sola circumstantiæ sacrilegæ diversitate.

II. Virtus hæc veluti limpidissima chrystallus in putrido & luculento corpore defertur. Facillimè bitumen succenditur, & luxuriæ ignis ardet, & sulphureæ exhalationes castitatis candorem offuscant, nisi assidua vigilantia custodiatur. Concupiscentia dira fera est, quæ semper rugit, & revolutiones machinatur. Si initio heroico spiritu cohibeatur, & continua custodia frenetur, ejusmodi victoria facilis nunquam tamen eidem fidendum, quia versute, & ex insidiis suam orditur rebellionem. Concionatores, & Confessarii præsertim vigiles sint oportet. Hi quippe

ra-

ratione ministerii frequenter feminas alloquuntur, A colloquiis spiritualibus initium ducitur;at nisi cautela summa adhibeatur, omnia in carnem desinunt. Confessarii habent suas filias spirituales, quibuscum familiares sermones texunt, Halitus ille Virginalis, simulque femineus, calida illa suspiria, & familiaritas paternitatis spiritualis cum filia spirituali fugienda sunt tanquam sibibus basilisci. Tractandæ feminæ sunt, non secus ac personæ lue inquinatæ spirituale alimentum porrigatur, & continuo separatio succedat, alioquin pestu luxuriæ sua veneficia immittit. Verum quia innumeri libri sunt qui fusius hoc argumentum tractant; idcirco ab ulteriori abstineo sermone.

III. *QUÆST: II. Quid ratione voti obedientiæ præstare Regularis Obstringitur.* ℞. Votum obedientiæ est *oblatio propriæ voluntatis DEO facta*, dum Regularis promittit obedire suis Superioribus in iis omnibus quæ hi juxta propriam regulam jubebunt. Quare Regularis obedire tene-

tur ſub gravi culpa Superiorum præceptis. Quando Superior non præcipit, ſed ſolum optat hortatur, etiamſi ſubditus non pareat, non propterea violat obedientiæ votum quia nullum tranſgreditur præceptum. Præcepta autem Superiorum de re gravi eſſe debent.

IV. Quatuor communiter conditiones pro exacta obedientia Sancti Doctores requirunt. 1mo ut ſit prompta executio ejus quod præcipitur: 2. ut interior voluntas accedat executioni externæ: 3. ut ſubditus proprium judicium in re dubia aut controverſa ſubmittat judicio Superioris. 4. cognita Superioris voluntate non eſt expectandum præceptum, ſed implendum eſt quod Superior cupit. Hæ tamen conditiones ad majorem obedientiæ perfectionem requiruntur. Secus ad ejuſdem virtutis naturam. Ad hanc enim, & ut peccatum, ſaltem grave evitetur, ſat eſt ut reipſa ſubditus obediat, & exequatur impoſitum præceptum. Advertendum tamen, quod Superiores interdum præcepta

ſu-

suspendunt, ut scandalum evitent, quia prævident subditos minime paratos ad implendum præceptum. Et tum subditi qui hæc obsistendi Superiorum mandatis argumenta perhibent, sunt in malo statu, & peccare mortaliter valent spectata, rei præcipiendæ gravitate. Jn his enim circumstantiæ spectandæ sunt.

V. Superiores jure præcipere valent ea omnia quæ intra confinia regulæ & Constitutionum continentur vel ad regulæ & Religionis conservationem & decorem indirectè etiam conducunt. Queunt etiam Prælati ea vetare quæ tendunt ad proprias leges violandas, & alia jubere quæ graviter expediunt Regulæ & Constitutionum observationi. Quare præcipere Superior potest necessitate urgente ut subditi inserviant Religiosis & Sacramenta ministrent Christianis peste infectis, præsertim si Religiosi ordinem profiteantur ad proximorum salutem procurandam institutum.

VI. Jn re dubia parere subditus te-

netur Superiori præcipienti, quia possessio stat pro Superiore, ut communiter Theologi docent. Probabilistæ non nulli contendunt, subditos habentes pro se opinionem etiam minus probabilem liberos esse ab obedientia præstanda, quamvis opposita sententia probabilior stet pro Superiore. Et ita docere coguntur, admisso systemate probabilistico. Hinc verò luculentius apparet, quam sit auctoritati Superiorum, & optimo regimini seditiosus, atque perniciosus probabilismus.

VII. Superiores nihil supra aut contra Regulam præcipere valent subditus tamen non est legitimus judex, num id quod Prælatus jubet, sit contra, vel supra Regulam, nisi res evidens sit. Capitula Generalia præscribere, & condere statuta valent nova, quæ Ordinis & decorem augeant, & observantiam Regularem validius firment. Ad præfecturas quoque acceptandas & obeundas prælati urgere subditos suis præceptis jure queunt secus ad acceptandas dignitates, vel Episcopatum extra Ordinem.

VIII.

VIII. Graviter Regulares peccant, vel dum præceptum Superioris implere recusant, vel dum ejusdem vocem contemnunt, vel dum reformanti, abusus, & corruptelas, invectas contra Regulam & Constitutiones resistunt. Peccant venialiter si ea executioni demandare negligant quæ sciunt à Superiore præscibi, quamvis non sub præcepto, ut dum inculcant observantiam Regulæ & Constitutionum. Et licet Constitutiones natura sua ad culpam non obligent, re ipsa tamen numquam deliberate violantur sine aliqua veniali culpa, qui vero ex habitu & consvetudine eas indiscriminatum transgrediuntur, ad tacitum contemptum se se disponunt, & contra præceptum aspirandi ad perfectionem peccant.

IX. Superiores qui Regulæ & Constitutionum transgressiones dissimulant, qui easdem pro viribus corrigere & impedire negligunt, aut ex torpore & negligentia, aut ex quadam conniventia, peccant mortaliter, ut Diana Salmanticen-

ſes La-Croix, & alii communiter docent. Superiores enim vi muneris ſui deſtinati ſunt ad legum cuſtodiam, & univerſæ diſciplinæ obſervantiam promovendam. Jllorum negligentia in impediendis tranſgreſſionibus graviſſimum detrimentum infert Religioni, Hinc enim graviſſima proficiſcuntur abſurda, & hinc omnes Sacrorum Ordinum relaxationes manarunt. His quippe tranſgreſſionibus ſuccedunt violationes votorum, ſcandala, caſtitatis jactura, & proprietatis peſtes.

CAPUT X.

De Tyrocinio, ſeu Novitiatu Regularium.

1. ANtequam Religionem juvenes ſolemni ritu profiteantur, debent per annum integrum habitum Religionis, & palam geſtare. Libera autem, & non coacta ſit hæc Religioſæ veſtis ſuſceptio neceſſarium eſt. Qui puellas cogunt ad hanc ſuſceptionem, mortaliter peccant, & excommunicationem in currunt, ut Tridentinum *Seſſ.* 25. *c.* 18. ſtatuit. Qui autem

ju-

juvenes mares cogunt minis, peccant mortaliter, sed excommunicationem non incurrunt. Juvenes qui coacti tyrocinium peregissent, si libere professionem emitterent, validus fuisset Novitiatus. Annus hujus Novitiatus integer esse debet, ut Tridentinum *Sess.* 25. *c.* 15. præscribit, continuus & non interruptus. Qui per diem habitum dimitteret, & à claustro exiret animo non redeundi, licet post diem rediret, Novitiatus interruptus diceretur; secus si per aliquot horas dimitteret, absque exitu è cœnobio.

II. Jnepti jure naturæ ad Novitiatum ut sunt decrepiti, insani, habitualiter infirmi grevi morbo, servi vere tales repugnante domino Conjuges post consummatum matrimonium sine mutuo consensu professi in altero ordine sine licentia Superiorum. Jure positivo recipi nequeunt Episcopi Archiepiscopi, qui sine expressa summi Pontificis facultate profiteri Religionem regularem nequeunt Ceteri autem Ecclesiastici liberi omnino sunt e-

tiam curæ animarum addicti ad profitendam vitam Regularem.

III. Pontifices summi plures ediderunt Constitutiones, quibus determinant conditiones recipiendorum ad ordines regulares Sixtus V. sua Constitutione *Cum de omnibus* prohibuit ne viri prætergressi annum sextum decimum reciperentur, nisi præmissa severa perquisitione de patria de acta vita de parentum qualitate. Quod si repertum fuerit istos latrocinia, aut alia similia scelera patrâsse vel suspectos de iisdem esse, aut condemnatos vel prudenter timeatur condemnandos fore; si ære alieno, gravatos supra vires, vel ratiociniis reddendis adstrictos unde lites & molestiæ, prævideantur; prohibet ne recipiantur, & professionem ab istis emissam nullam declarat Prælatos verò qui scienter ejusmodi receperint, privat voce activa & passiva, gradibus & præfecturis inhabilesque constituit ad futuras dignitates, & gradus. Hanc Constitutionem altera Constitutione cujus initium est, *Ad*

Ro-

Romanum Pontificem temperavit non quantum ad pœnas, sed quantum ad crimina. Gregorius XIV. alia Constitutione dictâ *Circum specta* partim sustulit, partim auxit Sixtinæ Constitutionis moderationes. Et tandem Clemens VIII. Professionem reduxit ad terminos Juris communis: ita ut nisi aliquod Juris communis impedimentum obstet Professio valida, sit. Pœnas vero intransgressores in suo reliquit vigore. Nunc tamen vi Constitutionis ejusdem Clementis VIII. Regulares recipere juvenes possunt etiam prætergressos annum decimum nonum exacto tamen juramento, quod neque criminosi, neque ratiociniis reddendis obnoxii, neque rei furti, aut homicidii vel aliis impedimentis in Sixtina Constitutione recensitis ligati sint. Prælati qui ejusmodi scrutinium negligunt graviter delinquunt & subjecti sunt Sixtinæ Bullæ pœnis. Valida tamen Professio erit dummodo nihil contra jus communè repugnet.

IV. Novitii omnium privilegiorum

Re-

Regularium participes sunt, cum sint sub potestate Religionis, & ejusdem onera sustineant. Quare sunt à jurisdictione Episcopi immunes, & privilegio fori gaudent. Possunt Superiores Religionis cum iisdem dispensare super præceptis Ecclesiæ, & eorum votis, quæ tamen implere, si habitum Religionis dimittunt, debent. Contra si absolvantur à censuris, irregularitate, vel reservatione si exeant à Religione, quam bona fide amplexi fuerant, absoluti manent.

V. Si in anno Tyrocinii novitius decedat heres ab intestato ejusdē bonis succedit Donationes liberæ inter vivos, contractus, lucrosi, renuntiationes bonorum temporalium, officiorum, dignitatum, nisi fiant cum licentia Episcopi aut ejus vicarii duobus mensibus ante professionem irritæ sunt & nullæ, ut determinavit Tridentinum Bona quæ sibi obventura sperat Novitius, renuntiare potest Religioni quam Professurus est, etiam vivente Patre secus alteri determinatæ Per-

so-

sonæ. Bonis quæ jure sangvinis obveniunt Novitio, nisi ipse disponat juxta præscriptum Tridentini ante Professionem, uccedit ordo quem Professus est, si capax sit bonorum immobilium.

CAPUT XI.

De Professione Regularium.

1. PRofessio Monastica, ut alias indicavi, contractus est quo homo semetipsum DEO offert in aliqua approbata Religione solemni ritu tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittendo coram Prælato consentiente, quique DEI nomine hæc vota acceptat. Duplex est: *Expressa*, quæ verbis fit coram Superiore, & *tacita*, quæ signis & actionibus à jure statutis peragitur; ut si novitius expleto anno sexto decimo & integro anno sui tyrocinii, exerceat actiones Professorum, eorumque habitum deferat, professionem tacitam emittit, si tamen Prælatus consentiat, & ipse Novitius libere, non coactus seu nullo timore extrinsecus graviter incus-

cusso adductus id agat, advertatque ejusmodi actionibus se tacitam Professionem incurrere, & habeat animum profitendi verum quamquam tacita hæc professio nuncupetur, reipsa expressa suo modo est.

II. Ut Professio Regularium legitima sit, requiritur legitima potestas, quæ residet, vel in Romano Pontifice, vel in Superiore Religionis, juxta Regulas peculiares cujuscumq; Ordinis. Jn hoc aut illo Ordine non sufficit solus Superior, sed necessarius est consensus majoris partis Patrum à consiliis vel Capituli. Si major pars istorum Patrum reluctetur, nec Superior illius Conventus, inquo est Novitiatus, nec Superiores majores possunt admittere Novitium ad professionem reluctante verò Superiore immediato & accedente consensu majoris partis Patrum à Consiliis valent Superiores majores ut Provincialis vel Generalis admittere Novitium ad Professionem. Cæterum quilibet ordo suas consulere leges debet.

III. Plura sunt impedimenta quæ nul-

nullam reddere professionem queunt. 1. Ætas ante annum decimum sextum completum. 2. Si annus Novitiatus non sit integer, vel ut inter ruptus. 3. Defectus libertatis, ut si servus repugnante domino profiteatur. 4. Matrimonium consummatum altero conjuge repugnante. 5. Episcopatus non accedente Pontificis licentia. 6. Nimia senectus, aut morbus gravis, non curabilis, impediens Regulæ observantiam. 7. diversitas sexus, ut si vir in Monasterio mulierem aut contra profiteatur. 8. Metus gravis injuste incussus. 9. Error circa essentiam status Religiosi. 10. Si desit animus se obligandi vel si ficto animo acceptetur à Superiore nulla est in foro conscientiæ. 11. Tandem si contingat aliquis defectus qui vi Constitutionum talis Ordinis professionem irritet.

IV. Ut professio nulla ex parte utriusq; & Superioris acceptantis & Professi redintegretur, requiritur utriusque partis reciprocus consensus. Si vero nul-

la

la sit ex defectu consensus solius professi, tunc sat est ut ipse solus renovet consensum, ratamque habeat professionem emissam. Aliqua vero professio nulla esse potest ex impedimento quod non admittat remedium, quo sanari possit.

V. 1. Effectus professionis regularis est remissio omnium peccatorum etiam quantum ad pœnam ut 22. *q.* 189. *a.* 3. *ad* 3. *docet.* D. Thomas cui subscribunt cæteri Theologi 2. Est ablatio irregularitatis ex defectu natalium pro sacris Ordinibus suscipiendis, secus pro præfectura exercenda. 3. aufert ingratitudinem filii adversus patrẽ qui exhæreditare amplius filium nequit. 4. Dirimit matrimonium ratum & non consummatum. 5. Commutat vota in sæculo facta in professione: quæ commutatio per ipsam professionem fit Quare etiamsi Professus frequenter negligeret observantiam jejuniorum, aliarumque austeritatum Ordinis, nihilominus commutatio facta consisteret. 6. Est provisio victus & vestitus quam religi-

ligio ministrare tenetur professis tum sanis, tum infirmis, eosq; educare in studiis juxta propriam vocationem astringitur.

VI. Tridentinum *Sess.* 25 *cap.* 19. facultatem Regularibus impertit reclamandi contra Professionem emissam tribus adjectis conditionibus 1. reclamatio & causa rescindendæ professionis ante elapsum à die emissæ professionis quinquennium instituatur: 2. Ne reclamans habitum Religionis deponat pendente causa reclamationis. 3. ut causa rescindendæ professionis instituatur coram proprio Superiore, & ordinario, qui sententiam ferre debet.

VII. Ut quis reclamare licite queat contra propriam professionem fundamenta habere certa debet, & evidentia. Qui enim dubius est, reclamare licite nequit, quia in dubio præsumptio stat pro professione Plura dicenda de hac reclamatione essent. Verum cum hæc omnia ad forum externum pertineant, & fuse tractentur à non paucis Canonistis, idcirco illa prætereo.

VIII. Jllud dumtaxat hinc colligant velim magiſtri novitiorum, quanta diligentia & vigilantia candidatorum vocationem expendere graviter aſtringantur. Cauſa princeps relaxatæ diſciplinæ regularis eſt defectus vocationis divinæ ad illum ſublimem ſtatum profitendum Siquidem plurimi non DEO vocante ut advertit Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de gem. col.* ſed aliis rationibus quas explicare non vacat, adducti huic ſacræ militiæ nomina dant væ novitiorum præfectis, ſi oculos claudunt ſuper hoc graviſſimo negotio, ne propria clauſtra vacua remaneant & non vocatos ad profeſſionem admittunt. Deficiente hoc primo Cœleſtis vocationis fundamento, quid mirum, quin univerſum ædificium corruat. Caſtitas donum ſpeciale Spiritus Sancti eſt ut intaminata ſervetur, gratia, non ab humana infirmitate vires expectans ſed ut à DEO manans, victrix atque triumphans requiritur vocatione divina ſublata deeſt gratia illa ſingulariſſima. & hac gratia deſtituti caſti-

ta-

tatem sacrilege polluunt, deturpant, corrumpunt. En expositam omnium malorum radicem. Cautissimi ergo sint Novivitiorum Magistri in expendenda eorundem vocatione.

IX. Non me latet quod opponere isti solent, nempe mundum in maligno positum esse, & Christianorum mores laxatos atque indies corruptiores fieri Ex hac silva transferendas in regularium Viridaria plantas esse, quæ in grandine, antequam olivæ inserantur, percussæ sint, vix fieri potest ut fructus pariant, vita æterna dignos. Verum habet. Quam obrem secernendæ sunt plantæ tunc ab infectis At sane reponis, paucæ sunt & multiplicata claustra impleri debent. Nimis longus essem, si pro dignitate hanc discutere objectionem vellem. Vide *disciplinam Apostolica: Monasticam* P. 2. *dis.* 1. c. 15. ubi fuse hanc difficultatem discussam invenies. Regularium propagatio, & perennis successio non carnalis sed spiritualis est à DEO descendens. Tu solos

vo-

vocatos ad professionem excipe, & curam DEO relinque ut operarios mittat. Si secus feceris, & te & alios periculo æterno pereundi expones.

CAPUT XII.

De Litterarum studio, in quod incumbere Regulares astringuntur: & quæ Methodus in scientiis addiscendis servanda.

I. CHristiani omnes plus & minus, prout eorum conditio fert, Scripturis Sanctis dare operam debent. Jn hoc autem studium Regulares, & omnes viri rebus sacris addicti incumbere gravissime astringuntur Joannes Trithemius incliti Sanctissimi Patriarchæ Benedicti Ordinis præclarorum virorum, non modo antiqua, sed etiam ætate nostra, DEO auspice fæcundissimi Abbas *homil.* 4. de studio sacrarum scripturarum, hoc pacto Monachos suos alloquitur. *Videmus inter vos quosdam scripturarum ignaros instabiles mente, discolos, & vagos, quibus eo magis imputamus ignorantiam, quo minus inclinantur ad di-*

disciplinam. Turpe quidem est nescire quod scire juberis, turpius non discere, turpissimum verò contemnere. Et sunt inter vos qui scientiam salutarem nesciunt, sunt etiam qui discere negligunt quid si addam esse & ad alios qui scientiam Divinarum scripturarum pœnitus contemnunt.

Et paulo ante hæc habet. *O stulti & perditissimi Latrones, qui scientiam salutarem contemnitis, & ignorantiam Divinarum scripturarum potius quam intelligentiam amatis? Numquid affectati ignorantia pautioribus vos plagis reddet obnoxios? Aut propterea delinquentes, eritis coram* DEO *innoxii quia mandatorum* DEI *voluntarie estis ignari? Duplici pœna cruciandi eritis: altera, quod scire viam mandatorum* DEI *contemnitis; altera quod sermones* DEI *non custodistis - - -* De *vobis etiam, o stultissimi tenebriores. illud intelligitur S Hieronymi, quoniam ibi non est ignorantia jam excusabilis, ubi scitur quid sit illud quod ignoratur magis autem cavendum vobis ne cum illis tandem computemini qui*

dixerunt DEO: Recede à nobis viam sci-entiarum tuarum nolumus.

II. Neque illi solummodo culpandi sunt qui crassa, & supina ignorantia eorum quæ proprium statum spectant, infeliciter laborant qui in sapore quodam funestissimo quam libentissime obdormiunt, qui nec brachium, nec pedem movere volunt ut necessariam consequantur scientiam; verum illi insuper qui tempus terunt in addiscendis artibus, scientiis disciplinis, quæ à scientia Sanctorum abducunt, quam potissimum comparare debent Claustrales Rescribere placet verba Ludovici Granatensis *par. 2. de voto c, 4*
„ § 7. Quam multi hodie, studiosi sunt
„ in mundo, & inter hos quam pauci qui
„ discipuli sint IESU Christi. Et quod
„ acerbissimum est illi ipsi qui, recente
„ mundo relicto, amplectuntur Religio-
„ nem vel eo tempore quo debent expo-
„ liare veterem hominem, & huic se di-
„ sciplinæ impendere, cum vix DEUM
gu-

„ gustare cæperunt, atque ad eum cogno-
„ scendum ægre aperuêre oculos collo-
„ cantur, inter gentiles Philosophos, &
„ in scientiis mundanis exercentur, ubi in
„ longum tempus nec verbum de IESU
„ Christo auditur. Quod studium etsi pro-
„ pter mutationem temporum & hæreti-
„ corum perversitatem aliquo modo ne-
„ cessarium sit tamen tamquam magnam
„ plagam sæculi nostri & vitæ debemus
„ accipere utpote quod nobis tantum
„ temporis eripiat, & separet, atque exu-
„ les faciat tot annos, à salvatoris nostri
„ consortio. Præsertim si attendamus
„ quod dicit Gregorius Nazianzenus, o-
„ mnes illas Gentilium scientias & disci-
„ plinas tamquam plagas Ægypti ob pec-
„ cata nostra in Ecclesiam intrasse: Sed
„ cum misera temporum conditio nos ad
„ hanc necessitatem adegerit, congruum
„ illi tempus dandum, & assignandum fo-
„ ret, atque ita providendum ut ædifici-
„ um & fundamentum virtutis sic consti-

„ tutum esset, in animis eorum qui inci-
„ piunt, ut sustinendo isti oneri suffice-
„ rent. Sed quamdiu opus tenerum est &
„ infans Christianus adhuc gustat lac IE-
„ SU Christi, stultitia est ipsum illum ab-
„ lactare, & gustum illi dare librorum
„ gentilium *ubi non videt nisi argumenta,*
„ *subtilia, & plena fallaciis sophismata.*
„ Quid verò si bene expendamus, hoc est
„ aliud quam imitari crudelitatem Phara-
„ onis ruinam populi DEI Machinantis,
„ cum imperaret, ut quam primum Hæ-
„ bræus masculus nasceretur, suffocaretur
„ flumine & aquis Ægypti? *omnia* (inquit
„ sapiens) *tempus habent - - - tempus am-*
„ *plexandi & tempus longe fieri ab amplexi-*
„ *bus.* Tempus illud amplexando DEO
„ debebatur, comparandoque amori tam
„ forti, ut nullis aquis mundi suffocari
„ posset, & extingvi: quo facto paulu-
„ lum licebit ab ipsius amplexibus rece-
„ dere ut necessitatibus proximi intenda-
„ tur. Quid alias volebat DEUS noster in

le-

„ lege, cum prohiberet ne sponsi, coge-
„ rentur arma sumere & ad bellum pro-
„ cedere? Quid significabat, cum vetaret
„ operari in primogenito bovis, & non
„ tondere primogenita ovium, nisi genus
„ istud primo genitorum, de quo hic lo-
„ quimur liberum esse à vinculis & one-
„ ribus istis, ut totum se sibi & profectui
„ suo impendat. Contra has leges omnes
„ faciunt qui tempus istud suffurantur,
„ studio veræ sapientiæ, & veræ scientiæ,
„ ut totos se humanis scientiis addicant,
„ si Hactenus sapientissimus Ludovicus
Granatensis, cui nihil præter antiquitatem deest, unde Pater Ecclesiæ nominetur.

III. Si temporum ratio coegit majores nostros quando Arabum Philosophia vigebat, doctrinæ Aristotelicæ operam dare, ut ethnicos & supèrstitiosos viros propriis illorum armis confoderent, opposita temporum vicissitudo urgere nos debet ut in ea incumbamus studia quæ re-

revincendis convertendiſque hæreticis & malis Catholicis opportuna ſunt Nullum in præſens apud ſive ethnicos, ſive Turcas, qui nos circumſtant Philoſophiæ ſtudium: ſupina illi laborant ignorantia, parvoquæ opus eſt quo illa revincantur. Hæretici nunc ſunt qui dogmata Catholica oppugnant, & Catholici non nulli ſcriptores, qui evangelicæ moralis regulas pia intentione & fabro opinandi modo præventi, vel nolentes humanis appetitionibus nimis accomodant. Jn illud ergo ut majores noſtros imitemur, ſtudium incumbendum, quod convellendis iſtorum erroribus opportunum eſt Credendis, & agendis conſtat, Theologia Chriſtiana, & hæc duo conſiſtere ſeparata diu nequeunt.

IV. Methodus itaque, quam novitiis expleto Tyrocinii anno tenendam ſuggero (abiit enim ut tribunal erigere velim, illam ut Cenſor proponendo) hæc eſt. Paucis menſibus juſti ratiocinij, re-

gulas addiscant ex Dialectica decerptas, missis tricis & cavillationibus Sophisticis quæ mentem corrumpunt, aut saltem pessimè disponunt. Regulæ istæ viam doceant inquirendæ veritatis, cum sola & unica veritas sit via, quæ ad Cœlum ducit. Elapsis quatuor aut quinque mensibus, in hoc studio triennium illud quod insumere in Philosophiæ studio solent, impendant in lectione Scripturæ Sanctæ, & historiæ Ecclesiasticæ. Optandum summopere esset, ut aliquis cursum historiæ Ecclesiasticæ scholæ usui accommodatum, & in oportunos tractatus vel dissertationes digestum ederet. Præmittenda esset brevis Synopsis historiæ veteris testamenti, paucis sed oportunis disputationibus illustrata, Post perstringendum esse specimen historiæ Christianæ, ut scirent juvenes, qui fuerint heroes nostri, quæ illorum acta & gesta. Aliquæ dissertationes brevissimæ, in quodlibet sæculum adjici possent; Opus istud simile esse deberet cur-

ſui Philoſophico, cui ſubſtituendum in-
nuo, & triennio ſicut ille, explendum.
His præſidijs inſtructi juvenes, ad ſacram
Chriſtianam Theologiam credendis & a-
gendis conſtantem addiſcendam accedant.
Tum veri Theologi è Scholis diſcede-
rent, hæc in tranſcurſu judicavi ſapien-
tum judicio ſubjiciens.

V. Plurima alia de ſtatu Religioſo
dicenda forent; ſed compendij confinia
tranſilirem, ſi ultra pergerem. Hæc itaq;
dicta ſufficiant, & in majorem DEI glo-
riam cedant, Lectorumq; profectum.

AMEN.

Finis.

in-
dum.
cram
& a-
dant.
cede-
pien-

giofo
finia
itaq;
glo-
m.

[illegible]

[illegible] Angelus

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Wer den [illegible]

der [illegible]

[illegible]